DE

COLONIIS ROMANORUM

TEMPORE LIBERAE REIPUBLICAE DEDUCTIS

COMMENTATIO

QUAM THEMATE PROPOSITO ELUCUBRAVIT

F. RUPERTI


QUAMQUE

COLLEGIUM PONTIFICIUM ANTIQUITATIBUS ROMANIS

EXPLICANDIS

PRAEMIO DONAVIT

ANNO MDCCCXXXVIII.



ROMAE

EX TYPOGRAPHEO REV. CAM. APOSTOLICAE

MDCCCXXXVIII.

MONITUM

Auctor, Roma procul nimium degens, dissertationi suae edendae praeesse nullo modo potuit. Sodalis, cui ab academia ipsius editionis cura demandata est, diligenter aeque ac laboriose autographon in editionem referre contendit; neque aliud immutare ausus est, nisi, ex academiae instituto, maiores alicubi literas in minores. Cum tamen auctor celeri nimium manu suum opus exscripserit; scriptio etiam ipsa ab communi italorum forma ac consuetudine aliquantulum abscedat; editor non omnes forte scriptionis nodos felici conatu exstricavit repraesentavitque. Itaque quam veniam et ab auctore et ab lectoribus etiam atque etiam exposcit, eam se facile impetraturum confidit.

Imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur.

Salust. Catil. II.

Mirum videri potest, rempublicam romanam ex tam parvis exordiis enatam (quippe quae a paucis plurium populorum convenis constituta erat, ut elucet ex tribus civium partibus ramnensium, tatiensium et lucerum, in latinorum terras irrumpentibus, ibique considentibus), inter tot tamque bellicosos et potentes populos, ei infestos, ut latinorum, volscorum, aequorum, etruscorum, samnitium, ut alios taceam, temporis progressu tantam potentiam, tantum rerum fastigium assecutam esse, ut orbem terrarum septingentis ferme exactis annis imperio complecteretur. Si vero in animum inducimus, romanos primo a vicinis populis despectos esse propter paucitatem et ignobile genus (ut apparet cum ex negato petentibus connubio, tum ex bello a singulis, non consociatis viribus, ab antemnatibus, caeninensibus, crustuminis et sabinis in eos suscepto), hac ipsa re respublica romana tempore dato adolescere, victis vicinis populis et fines et vires augere, et praecipue institutis ad rem bellicam unice fere spectantibus, inter quae coloniae non parvi momenti sunt, *rempublicam* ita firmare potuit, ut cives romani vicinis populis non solum bello pares essent, sed eos etiam vincerent, agrorum partem eis eriperent, et in suam ditionem referrent, et continuis bellis tuerentur: quod praecipue coloniis debuit, in quibus

ipsis semper milites praesto erant, quorum auxilio hostes vincerent. Nec dubitandum est, quin imperium romanum, sine coloniarum ope, nunquam ad tantum potentiae fastigium elatum fuisset.

Quem propositi finem ut romani assequerentur, praeter instituta ad bellum gerendum spectantia, et ad virtutem excitandam, hoc quoque non mediocri adiumento erat, quod vicini populi, quamquam communi origine coniuncti, singulas tamen parvas respublicas constituebant, quas societatis quidem vinculum inter se continebat, sed tamen separatas, et suo quaeque iure utentes, e. g. etruscorum duodecim civitates, latinorum triginta, quibus singulis resistere, easque vincere, non tantae molis erat.

Iam a primis expugnationibus a Romulo factis, caeninensibus, antemnatibus et crustuminis victis, ea ratio imperii valuit, quae perpetuo servata est, ut agri bello capti urbi adscriberentur, et uno imperio continerentur, ita ut incolae captarum urbium Romam se conferre, et civium numerum augere cogerentur: quod duplex commodum urbi praebebat ad futuram magnitudinem et potentiam; primum quod aucto numero civium maior numerus militum conscribi poterat, quo facilius hostes propinquos vincerent, tum quod ager romanus ita extendebatur, ut civibus esset, unde vitam sustentarent. Quamdiu romani proximum quemque hostilem populum alterum post alterum continua serie sibi subiiciebant, eadem ratione omnes agros

captos urbi adiiciebant, et civibus colendos assignabant; sed si remotioribus locis hostem victum agro suo multaverant, hunc, interiecta hostili terra, neque ad urbis territorium adscribere potuerunt, neque alio modo hoc agro uti, eiusque possessionem tueri, quam deducta in eum *colonia.*

Praeter principia administrandae reipublicae, et augendae potentiae ex ingenio bellico romanorum orta, strenueque observata, nunquam bellum componendi, et pacem ineundi, nisi victores ex bello recesserint; deducendarum coloniarum ratio plurimum valuit ad imperium romanum augendum et firmandum. Romanos tot tantisque hostilibus populis resistere, eosque vincere non potuisse, nisi ope et auxiliis coloniarum sustentati fuissent, neminem fugit. Hostes opprimere, agris eos privare ex parte, praesidia urbibus expugnatis imponere, milites in promtu habere in locis remotioribus ab urbe, pauperes cives iuvare agris, eoque civium simulque militum numerum augere, et vastitatem locorum expugnatorum impedire, haec omnia romani coloniis deducendis assequi studebant. Nec frustra.

Scriptores historiae romanae coloniarum deductarum quidem saepe mentionem faciunt, sed earum utilitatem, et internam et externam conditionem non describunt, quod romanis res notissima erat. Quae hac de re cognosci possunt, comparatis et historicorum locis, qui de coloniis agunt, praecipue in iis, qui

de legibus agrariis loquuntur, et in orationibus eadem de re, ut Ciceronis contra Rullum, comparatis coniectura assequi licet.

De fontibus et subsidiis, e quibus historiam coloniarum earumque notitiam haurire possumus.

I Fontes.

T. Livius temporibus imp. Augusti, ex antiquis fontibus, annalibus, commentariis, fastis historiam romanam composuit ab urbe condita usque ad bellum in Germania a Druso gestum. Suo quoque loco et anno colonias in oppida capta deductas commemorat, quot coloni deducti sint, quantum agri iis adsignatum, qui duces coloniae deducendae fuerint non praeterit, nec motus in coloniis ortos: internam earum conditionem nusquam describit, neque quanti momenti fuerint, nisi in secundo punico bello Lib. XXVII c. 9 et 10.

C. Velleius Paterculus tempore Tiberii imperatoris duos historiae romanae scripsit libros, quorum magna pars periit: fides eius suspecta quidem multis in rebus adulatione Tiberii et Seiani. Tamen quaedam ex aliis fontibus hausit, quae alibi non inveniuntur. Coloniarum praecipuam habet rationem, earumque recensum instituit, quae post urbem a gallis captam usque ad tempora Syllae, ex quo coloniae militares deduci solebant, deductae sunt, Lib. I c. 14, 15: et II 15 de coloniis extra Italiam conditis.

Dionysius halicarnasseus scripsit temporibus Augusti XX libros (quorum XI supersunt, praeter excerpta Constantini Porphyrogenetae, et fragmenta ab Angelo Maio inventa) antiquitatum romanarum ab urbe condita usque ad primum punicum bellum (I, 8), ut graecos de origine romani imperii instrueret (I, 4, 5); graecitatis studiosus, omnia graecorum moribus intuetur, etiam colonias romanas, quae admodum diversae sunt a graecis.

Appianus alexandrinus temporibus Traiani et Hadriani Romae causarum patronus tum procurator (fisci), scripsit historias speciales romanorum, praecipue bellorum ab iis gestorum, e quibus ad rem nostram praecipue spectat: *De bellis civilibus.*

Aulus Gellius temporibus Antoninorum in Noctibus Atticis res memorabiles ex variis scriptoribus collectas nobis servavit, inter quas etiam multa ex historia et antiquitatibus romanorum libro XVI c. 13 definitionem coloniarum.

M. Tullius Cicero in orationibus de lege agraria contra Rullum, in philippicis, aliisque orationibus et epistolis passim mentionem facit coloniarum.

Sexto Iulio Frontino, qui tempore Domitiani praetura, postea consulatu functus est, liber *De coloniis* adscribitur. Ordine alphabetico colonias enumerat, non antiquas ante legem iuliam, sed seriores temporibus caesarum.

Iulius Hyginus tempore Traiani scripsit *Gromati-*

cum, sive de limitibus constituendis, in quo quaedam rem nostram spectant; ut etiam *Varro* De re rustica.

II Subsidia.

Sigonius De antiquo iure Italiae lib. II c. 2, 3 (In Graevii thesauro antiq. rom. t. II). *Ezech. Spanheim* Orbis romanus. Exercit. I cap. VIII de iure latii colonis latinis dato, et de coloniis civium romanorum, earumque cum latinis coloniis discrimine. Ed. Londini 1703 p. 62, 86 (Graevii thes. ant. rom. t. XI). *Petri Leonis Casellae* De primis Italiae colonis (in Gaudentii Roberti miscellanea italica erudita). *Heyne* De prudentia romanorum in coloniis regendis. Opuscula acad. t. III p. 79, 92. *Hopfensack* Staatsrecht der Römer. Dusseldorf 1829 p. 143, 169. *Idem* De romanorum coloniis et municipiis: Duisburg 1825. *Crèuzer* Abrius der rom. antiquit. p. 253. *I. Lipsius* De magnitudine Rom. *R. H. E. Wichers* De coloniis veterum. Groning. 1825. *Niebuhr* Römische geschichte t. II p. 48, 2 Amst. Berlin. 1830.

De causis coloniarum romanarum.

Narrationes de antiquissimis reipublicae romanae temporibus plurimas a scriptoribus historiae romanae et graecis et romanis nobis servatas, accuratius a nobis observatas, ut reliquorum antiquissimorum populorum historias, ad fabulas redire, Beaufortio et Niebuhrio ducibus, multi docti viri demonstrarunt gra-

vissimis argumentis; quae autem temporum progressu mutata sunt (ut fit cum iis quae fama fert) vel a scriptoribus falso intellecta et tradita, vel poetarum ingenio ornata et aucta, ad res quidem gestas et vitas hominum referenda sunt, non ad instituta, ad religionem et formam reipublicae spectantia, quorum vestigia iniuria temporis saltem non omnia sunt excussa, ut quae sanctitate quadam et usu hominum memoria servantur, monumentis comprobantur, quaedam etiam a magistratibus litteris mandari et in templis deponi solebant.

Paucos advenas plurium populorum consociatos rempublicam romanam condidisse, quorum numerus tria civium millia non superaret, ex ipsis tribubus, curiis, decuriis apparet, quae erant fundamenta reipublicae romanae. Pauci cives novae urbis, inter medios hostiles populos conditae, quorum invidiam movebant, et quibuscum de finibus agrorum, de iniuriis ultra citraque illatis in discrimine sunt impliciti, ad firmandam urbem novos incolas accersere et recipere, simul etiam suam ditionem augere, et fines extendere studebant: quo facto, continue cum vicinis populis bella orta sunt: e quibus romani, etsi non semper, plurimum tamen victores recesserunt: novus enim populus non solum compositus erat ex fortissimis viris sed et iuvenibus manu promptis, qui coacti erant bello operam dare, quo nihil fere amittere, multa comparare potuerunt. Ad augendam novae reipublicae potentiam duo praecipue

subsidia in promptu erant: alterum augere numerum civium, ut essent qui hostibus resisterent: alterum extendere fines, agros occupare, qui civibus assignari possent, unde victum sumerent, et quos ut suam possessionem acrius et fortius defenderent, si hostes eis eripere conarentur. Ex quo in remotiorum populorum fines imperium suum extenderunt, ut omnia in unum corpus redigerent, urbi adiungerent, et ita vim et copiam novae civitatis augerent, amplius fieri non potuit. Instituto itaque, quo longinquiores agros colendo suis commodis inservirent, simul eos tutos praestarent ab incursionibus et vastationibus hostium, quo simul extenderetur imperium et firmaretur, opus erat. Tale institutum non solum inter graecos in usu erat, quod romanis exemplo esse et inolescere potuit, cum in inferiori parte Italiae quodammodo explendesceret, eique nomen dedisset Graeciae maioris; sed etiam inter latinos, aliosque Italiae populos usus valebat mittendi vel deducendi *colonias:* et ita in usu, ut graeci scriptores, originem urbis romanae narrantes, et scriptores romani historici, eorum vestigia secuti, conditores coloniae Albae Longae perhibeant, quae opinio etsi iam diutius refutata est, hoc tamen probat, mittendarum coloniarum usum inter latinos valuisse (1). Quod idem iam antiquissimis temporibus fieri solitum

(1) Dionys. Halic. II 3.

fuisse ver sacrum, ab aboriginibus (qui originem duxerant ab oenotriis pelasgis) in siculorum terram missum, quo potiti sunt aborigines his regionibus (1).

Romani, qui ipso modo, quo populus ortus erat ex convenis plurium populorum, nihil proprium et singulare ex ingenio et moribus populi enatum habere potuerunt, vicinorum mores et instituta, quandoquidem ad suam utilitatem et commoditatem conferrent, receperunt et imitati sunt: qua de causa Livius memoriae prodit (2): Romulum, victis caeninensibus, antemnatibus et crustuminis, in eorum oppida colonias deduxisse: quod fieri vix potuit: certe rationibus firmandae et augendae civitatis admodum contrarium fuisset: nam tum temporis urbs nondum abundabat incolis, et deductis colonis non solum vim suam fregisset, quae in numero (incolarum) civium constabat, sed etiam colonos, quos tueri vix potuit, periculo exposuisset, ab hostilibus populis diripi et bello opprimi. Romulus illos populos potius Romam transduxit, eorum agros vel veteribus possessoribus reliquit, vel expugnatos et redentos novis possessoribus adsignavit, sed omnes urbi adiunxit: ut eodem modo non multo post factum est cum sabinis quiritibus, cum romanis in unam civitatem se coniungentibus. Livius coloniarum in oppida

(1) Dion. Hal. II 1. cf. Niebly.
(2) Liv. I 11.

capta deductarum mentionem fecit, quod ita postea fieri solebat, nec dubitat, quae sua tempora ferebant, in antiqua transferre.

Ancus rex, Politorio capto et diruto, ne latinis receptaculo esset, incolas in urbem recepit. Idem Ficana et Tellene captis, numerum civium, earum incolis Romam receptis, non parum auxit. Colonias non deduxit, quod hostium incursionibus nimium expositae esse videbantur; potior autem causa fuit, quod urbem Romam incolis privare nollet: quod tamen hoc tempore facilius fieri potuisset, quam sub regno Romuli, urbe aucta, receptis civibus supra enarratis, et diruta Alba longa.

Ex supra memoratis iam duplex causa coloniarum deducendarum elucet: altera *utilitatis*, altera *necessitatis*, vel *utraque inter se coniuncta*, quod non raro fiebat.

Colonia est (ex Servii (1) definitione) coetus eorum hominum, qui universi deducti sunt in locum certum, aedificiis munitum, quem certo iure obtinerent. Ex aliorum descriptione: colonia dicta est a colendo; est autem pars civium, aut sociorum, missa ubi rempublicam habeant, ex consensu suae civitatis, aut publico eius populi, unde missi sunt, consilio. Haec autem coloniae sunt, quae, ex consensu publico, non ex secessione sunt conditae.

(1) Serv. Fuld. ad Aeneid. I 12.

Itaque iam hoc ipso romanae coloniae diversae a graecis: quod haee secessione et iniussu suae civitatis coloniam conderent, et locis saepe incultis, desertis, ubi sine certamine locum occuparunt (nam res nullius cedit primo occupanti), ibi urbem aedificarunt; romanae vero coloniae praesidia (1) erant in oppidis vel relictis, vel expugnatis et dedititiis, ut qui in oppido cives remanerent, romanorum imperio subiicerentur; agros publicos romanis permitterent, suos retinerent, certe vectigales victoribus.

Causae externae. a. *ratio oeconomica, utilitatis percipiendae ex agris bello occupatis.*

Ex hac ipsa definitione in oculos incurrit, *utilitatis speciem* romanos permovisse, ut colonias in oppida a se capta deducerent: nam alio modo neque domos, neque agros in suum commodum conferre potuerunt. Oppidum a romanis bello potitum, aut vi captum, aut in deditionem acceptum est: utrumque raro, nisi diuturniore bello gesto accidit. Tum autem multi incolarum perierant, vel capti erant; bona eorum et agri vacui erant a possessoribus; romanorum intererat agros coli, ut tributum inde referretur: multa

(1) Liv. I 56. Signia et Circeii praesidia urbi futura terra marique.

etiam aedificia eodem modo in potestatem rom. concesserant. Ex quo igitur urbs Roma nimio civium numero aucta erat, expugnata vero longinqua oppida, incolis destituta, duplex utilitas assequi potuit mittendis coloniis, ut Romae quae oneri esset multitudo, removeretur; ut eorum paupertati et inopiae succurreretur, et ut possessio romanis propter longinquitatem nulli utilitati futura, non solum tributum ferret aerario, cum ager publicus et privatus, verum possessoribus novis incolis colonis divideretur, ut hi praesidium essent oppidi.

b. *ratio politica, ad tuendas expugnationes et fines reipublicae.*

Qua de causa moenibus circundata est, suos simul agros, sua bona tuebantur, et simul fines imperii romani ab incursionibus hostium tutos praestabant; obstricti simul coloni erant mereri stipendia, et iuvare urbem militibus, quibus rationibus omnibus utilitati erant patriae, neque alia ratione illa oppida et illi agri utilitatem romanis praestare potuissent.

Populi a romanis victi, suis agris privati, et e patrio solo expulsi, vel ira commoti, vel necessitate coacti incursiones in fines romanos fecerunt, ut suo iure ulciscerentur iniurias sibi a romanis illatas, iure quasi talionis utentes. Cum autem agrorum cultus, etsi negotium honoratissimum apud romanos, cui ingenuorum plurimi operam dabant, tamen vix tantum frugum

proferre posset, quantum sufficeret ad plebem urbanam sustentandam. Nusquam saepius, quam Romae penuria orta est frumenti et annonae; quae certe minus et rarius originem habebat, quod fruges non bene anno quodam provenerant coeli et aeris temperie impediente, quia Italiae fertilitas plurimis locis maxima est; ergo aliter tum saepe evenire non potuit, quam hostilibus incursionibus, agros vastantibus et diripientibus; quas arcere, hostes reiicere, possessiones romanas tueri, agriculturam praesidio armorum iuvare, eiusque proventum, non minima *coloniarum utilitas erat.*

c. *ad proferendum imperium.*

His utilitatibus coloniarum haec etiam accedit, quod non ad tuendum tantum *imperium* romanum utilissimae erant, sed etiam *ad proferendum:* in finibus enim conditae, hostibus oppositae, speculi instar eos semper servantes, et munitionibus eos reprimentes, coloni fere semper in armis esse necesse erat, et ipsorum colonorum intererat, hostes reiici, fines proferri, ipsos longius ab hostibus removeri et seiungi: qua re et suae possessiones securiores erant ab impetu hostium, et laetiores frui poterant suis bonis. Sed colonis nunquam fere diuturnius otium obtigit, donec omnis Italia bello a romanis oppressa esset, neque tunc militia vacabant, sed in omnibus bellis romanis militibus iuvare debebant: tamen coloniae florebant bellis Italiae

exactis, quod securitatis fructus fuisse videtur; simul etiam cum antiquis incolis diuturnitate temporis et consuetudine arctius coniuncti, cum eis unum corpus efficiebant, ut saepe etiam antiqui oppidi incolae coloni appellentur, exempli gratia cum coloniam ad hostes transiisse, contra romanos studiose narratur (1), quod de colonis romanis intelligi non potest, nisi forte cum antiquissimis oppidi incolis ita coaluissent, ut suae originis et patriae et commodorum obliti, ab eorum partibus starent.

Quod raro accidit: coloni enim, elati nomine civium romanorum, cum antiquis incolis non arcte se coniunxerunt, ut eadem voluissent et noluissent: neque colonos fugere potuit, rerum romanarum gnaros, se non pares esse romanorum potentiae resistere. Colonis ab urbe Roma deficientibus, non tantum commodi inde nasci potuit (quorum maximum erat, ut plane sui iuris essent, nec regerentur a romanis et ut vacarent militia et tributo) quantum perniciei, si victi in pristinam conditionem redigerentur, impendit; nam praeter mala, quae bellum et defectio secum ferre solent, romani graves poenas a colonis, qui defecerant sumebant. A vero parum discedere videtur si sumimus, praefectum iis imposuisse, qui provideret, ne quid mali in romanos facere possent. (Praefecturae

(1) Liv. III 4. de Antio. IV 11. de tirrenis.

enim nulla alia re a coloniis differunt, nisi quod hae suos magistratus ipso suo iure eligunt, et suis legibus vivunt, illis Roma qui rebus praeest mittitur).

Has praecipuas deducendarum coloniarum causas fuisse, ut Roma et utilitatem perciperet ex oppidis et agris bello captis, et coloniae imperii finibus praesidio essent, et ad eos proferendos adiuvarent, ex. gr. coloniae Sutrium et Nepete, etruscis a Camillo victis conditae A. U. C. 372, Placentia et Cremona victis boiis et insubribus gallis, ut Galliam cisalpinam tuerentur conditae A. U. C. 535, ex tota historia romana, praecipue ex historia coloniarum quam deinceps commemorabimus, elucet. Quousque respublica romana fines suos extenderat, ibi coloniae conditae sunt, ita ut ex ipsis coloniis, quovis tempore deductis, fines imperii romani circumscribere possimus et definire, quam late patuerit. Hae causae vim suam exserebant usque ad tempora Gracchorum: tum enim urbe nimio civium numero aucta, Italia contra deserta et incolis vacua, inferioris sortis plebe inopia et aere alieno oppressa ideoque ad motus excitandos proclivi, et largitionibus patenti, discrimine divitiarum et paupertatis, nobilitatis, et sordidae plebis mirum in modum crescenti, opibus ex Sicilia, Africa, Macedonia, Graecia, et Asia allatis, quae non solum ad aerarium referebantur, sed a nobilibus, magistratus curules et provincias administrantes, corradebantur ad augendam rem familiarem, et quo largitionibus plebem corrumperent

haberent; mala ex hac perdita conditione civitatis imminentia saluti reipublicae avertenda erant.

Eadem prudentia, qua romani huc usque usi sunt in coloniis deducendis ex causis externis ad fines tuendos et proferendos, nunc ex *causis internis* colonias condiderunt ad minuenda interna mala.

Causae internae coloniarum deducendarum.
a. *augendus erat numerus militum.*

Origo civitatis romanae aeque ac bella continua a romanis gesta, ut templum Iani ter tantum, quamdiu res romana stabat, clausum sit, probant, rempublicam romanam plane in armis et virtute bellica fundatam esse, omniaque eius instituta id spectasse, ut milites praesto sint ad hostes vincendos, ut virtus bellica servetur et augeatur (1). Reipublicae autem bellicosae interesse oportet, numerum civium augeri, ut sint qui milites conscribi possint, si res postulet. Quare iam reges victas civitates in urbem receperant, ut civium numerum augerent, ita ut censu sub Servio Tullio habito *millia octingenta* civium, qui arma fer-

(1) Cicero Tusc. Quaest. IV 1. Cum a primo urbis ortu equitum peditumque conscriptio, tota res militaris divinitus esset constituta, tum progressio admirabilis incredibilisque cursus ad omnem excellentiam factus est dominatu regio republica liberata.

re possent numerarentur, et urbs amplificanda esset pro numero civium, additis duabus collibus Quirinali et Viminali (1). Magnus sane civium numerus intra ducentos circiter annos congregatus, cum adhuc Roma, ubi plurimum, vix usque ad quintum decimum milliarium possideret (2).

Primo censu post reges exactos habito, numerus civium iam creverat: qui arma ferre possent ad centum triginta millia (Dionys. Hal. V, 20). Lustro vero quinquagesimo quinto A. U. C. 599 habito, censa sunt civium romanorum capita 324000. Iam Tarquinio Superbo ratus erat, nimiam hanc urbis multitudinem esse, et ubi usus non esset, oneri futuram urbi (Liv. I, 56).

b. *minuenda paupertas et inopia.*

Numerum civium pari progressione auctum esse cum ambitu imperii, facile est intellectu. Tantam tamen multitudinem hominum confluere in unam urbem, ubi non tot rationes et modi vitae sustentan-

(1) Livius I 44. Dionys. Hal. IV 22, 34, 100.

(2) Eutrop. Brev. I 8. Augustinus de Civitate Dei III 15. Viginti milliaria prolatum erat imperium sub regibus. Rufus Festus cap. 5. Octodecim milliar. si exceperis colonias Signiam et Circeios a Tarquinio Superbo deductas, quia latius fines imperii occupari volebat. Livius I 56.

dae praesto erant (quod in capite de conditione civium probare conabimur), quam nostris temporibus, ubi idem nostris oculis obversatur spectaculum, non solum oneri erat reipublicae, sed etiam periculo, alterum quod tanta hominum multitudo, in arctos fines inclusa, unde victum sumeret, non haberet, et tanta saepe inopia premeretur, ut respublica coacta esset, eorum miseriae succurrere, annona ex provinciis advehenda, pane inter pauperes distributo, quae remedia in tempus tantum levabant inopiam; alterum, quod plebs inops et misera non solum novis rebus semper studebat, quae motibus exortis nullum detrimentum capere, nulla vero ex iis commoda reportare posset, quod inopiae causa largitionibus semper maxime patebat, ad imperandi cupidos facile se applicabant, et rempublicam movebant.

Ne id quidem assecutum est hac civium frequentia, quod respublica augendo civium numero assequi studebat, defensores scilicet reipublicae, milites strenuos et fortes. Nam Servius Tullius iam sapienter instituerat, ut qui omni possessione destituti essent, milites conscribi non possent, cum et ea quae ad militiam necessaria erant suis sumptibus sibi comparare non possent: neque exspectandum erat, ut fortiter rempublicam defenderent, quibus, quae ipsis tuenda erant, non essent.

Coloniis deducendis non solum pauperum sublevabant inopiam, assignatis agris in oppidis bello captis,

unde victum sumere possent, nimiam urbis frequentiam imminuebant et mala avertebant, quae inde reipublicae imminerent; sed etiam propositi finem assequebantur, cuius causa magnus civium numerus necessarius erat, cum coloni ad militiam essent adstricti, et praesidia locis idoneis essent disposita.

Expositis causis coloniarum deducendarum (1), ut totius rei ratio atque descriptio accuratius intelligatur, quaerendum est quorum hominum coloni fuerint, et in quae loca coloniae deductae. Sicut ex superioribus in oculos incurrit, e ratione et prudentia reipublicae fuisse, ut coloniae deducerentur, sic nunc demonstrandum est, homines fuisse, qui in colonias deduci et voluerint et potuerint, eos semper in fide mansisse reipublicae romanae, nec, nisi raro, defecisse, ut saepe factum est a coloniis graecis, quod probat exemplum Corcyrae, tempore peloponnensiaci belli. Hoc elucebit, si accuratius agimus.

De conditione civium romanorum in colonias mittendorum.

Iam antiquissimis temporibus civitatum conditores non ignorabant, optimos cives esse, qui suis bonis et possessionibus reipublicae adnexi sint, eiusque saluti

---

(1) Cic. adv. Rullum I cap. V.

ut suae prospiciant: quare iam tum sapienter institutum est, ut conditio civium a conditione possessionis agrorum penderet, quod nunc etiam in plurimis rebus publicis usu valet.

Israelitarum respublica Moyse legislatore iam ita constituta erat, ut cives pleni iuris sempiterna possessione agrorum fruerentur, eique iura adnexa essent, et eodem modo definirentur (1).

Lacedaemoniorum respublica eodem modo constituta erat. Civitatis iura portioni agri annexa erant, inter omnes cives aequaliter divisi (2).

Apud athenienses idem possidendi modus in usu fuisse videtur, ut demonstrat divisio populi, a Solone facta, in quatuor classes pro ratione redditus. Idem probant nomina γεωμόρος (cf. Hesych. s. h. v.) et κληρουχία (cuius veteres possessores, iis qui illo agro potiti sunt, dimidiam reditus partem tradunt) (3).

Non aliter erat conditio possessionis fundi apud romanos.

Omnino ab origine populi cuiusdam ratio reipublicae ab ipso constituta, quod attinet ad possessionem agrorum et iura ei annexa, ita differt, ut populi, qui migrando in terras vacuas incolis, rem nullius sibi

---

(1) IV. Mos. 26, 53 seqq.

(2) Plut. Lyk. cap. 8

(3) Polyb. VI 43. πάντας τοὺς πολίτας ἴσον ἔχειν δεῖ τῆς πολιτικῆς χώρας.

vindicaverint, tantum cuique possidendum concesserunt optimo iure, quantum quisque sibi vindicasset. Si vero vi et armis terra quaedam occupata erat a quodam populo, tum universitas populi omnes agros occupatos suos habuit, eosque ita divisit, ut pars sufficiens relinqueretur publicis sumtibus, alendis ducibus, et in usum sacrificiorum et sacerdotum (1), quae vulgo concessa est veteribus possessoribus colenda, qui partem fructuum novis possessoribus tributi instar dare coacti erant; reliqui agri inter cives in portiones singulas, sustentandae rei familiari sufficientes, distributi sunt. Ille erat ager publicus (2) qui erat universitatis populi, hic privatus fundus cuiusque.

Romanorum respublica orta est expugnationibus, itaque eadem constituendae reipublicae ratio, et in

---

(1) Dionys. Hal. III 1. χώραν εἶχον ἐξαίρετον οἱ πρὸ ἀυτόυ βασιλεῖς, ἐξ ἧς ἱερά τε θεοῖς επετέλουν, καὶ τάς εἰς τόν ἴδιον βίον ἀφθόνους εἶχον ευπορίας.

(2) τέμενος apud graecos Il. VI 194. — Pind. Pyth. 4 99 — Jacobs Analect. I 1. p. 347. Odyss. XI 184 ubi conjunctum cum μέρος, partem agri publici regi ab *universitate dati*, *significare videtur*. Apud aegyptios γέρεα Hes. E. 168 praemia militum exceptis sacerdotibus παρὲξ ιερεών. cf. 1. Mos. 47 16 — 26 regi data pretio. Ipoc. Antid. c. 7. βασιλέιον dominium regis.

aliis eodem modo conditis civitatibus locum habere, necesse est.

Romana respublica, opinione de albana colonia quae Romam deducta esset iam diu refutata, a manu expugnatorum in siculorum terras, Romulo duce, incursionem faciente, ibique considente, orta esse videtur. Quos expugnaverant agros 1000 familiae (1), quae cum Romulo in eas regiones venisse dicuntur, in *privatam* ditionem redegerunt, et sibi vindicarunt relicta parte agri, quem *publico usui* ad procuranda sacra, et ad sustentandos reges (2) destinarunt: reliquos siculis, novis possessoribus subiectis, fruendos permiserunt, tributo eis imposito.

Illi mille comites Romuli, ramnensium stirps, gentes patriciae fuerunt (3); siculi, quod eis agros concesserant, eorum clientes facti sunt. Titienses et luceres ad augendum numerum militum inter patricios recepti, eodem modo in possessionem agri privati venerunt. Propter maximam agrorum portionem, quos occupaverant et suos fecerant, summum in republica locum

---

(1) Plut. in Rom. cap. 9 — Dionys. II 2 enumerat tria millia (quod locum habuit receptis titiensibus et luceribus).

(2) Dionys. Halic. III 1 — II 7 fin. dedit curiae cuivis portionem agri ἐξελὼν τὴν ἀρκοῦσαν ἐις ἱερὰ καὶ τεμένη καὶ τινα καί τῷ κοινῷ γῆν καταλιπών.

(3) Dionys. II 8 χρήμασιν εὐπόρους divites. loc. cit. cap. 9.

tenebant, quia iura civium coniuncta erant cum possessione agrorum. Alba a Tullo Hostilio oppressa et diruta, sicut antea crustuminis, antemnatibus (2), et post camerinis a Romulo victis, multi horum populorum Romam commigrarunt (2), quibus Romulus suos agros colendos permisit, publicum eorum agrum ditioni urbis Romae adiecit: nec a vero abesse videtur, Romulum pauperioribus ex his populis Romam se conferentibus agri publici, bello capti, portionem assignasse: colonias ibi condidisse verisimile non est, quia tantum aberat, ut numerus civium tantus non esset, ut dimitti possent, ut potius cives accersendi et recipiendi viderentur. Livius itaque et Dionysius serioris aevi rationes in tempora Romuli traduxisse videntur. Plurimi cives illorum populorum, qui fortunarum suarum sedem Romam transtulerant, ibi in plebeiorum ordinem recepti sunt, liberi quidem cives, qui agros suos, heredium appellatos, pleno iure possidebant, et post mortem in liberos suos transferre poterant; non tamen pignori apponere, ut elucet ex nexus gravitate.

Tullus victor albanorum, quum Alba diruta multitudinem Romam transducendam curaverat, ut pauperibus succurreret agros regios sumptui regio destinatos

(1) Liv. I 11 Hersilia coniux orat, ut in civitatem accipiat: — et Romam inde frequenter migratum est, a parentibus maxime et propinquis raptarum.

(2) Dionys. Hal. II 35 numerus Romam commigrantium 3000 fuit..

iis assignavit, suos patrios agros ad vitam sustentandam, et sacra procuranda sufficere perhibens (1).

Coelium addidit urbi, quia civium numerus duplicatus erat, qui iam sub exitum Romuli creverat ad 46000 (2) pedites, circiter mille equites. Huc usque tamen suffecerant agri populo assignandi; receptis autem Romam albanis, defuerunt in propinquis urbi regionibus, ut rex coactus esset, regios agros civibus dividere: itaque plurimi albanorum in plebeium ordinem sunt recepti, qui suos albanos agros retinere et in suum usum convertere non potuerunt, cum iis non esset unde servos emerent, qui suos agros colerent. Proceres et ditiores albanorum inter patricios recepti sunt (3), qui in possessione suorum agrorum manebant: reliqua pars agrorum in publicum relata est. Omnino *assignatio* agrorum pertinet *ad plebeios; occupatio* longinquioris, vel vasti agri (qui plebeiis utilis esse non potuit) *ad patricios*, qui cum servis suis colebant: dominium directum tamen eius erat penes rempublicam.

Numero incolarum urbis Romae iterum aucto, oppidis Politorio; Ficana, Tellene, Medullia captis sub Anco rege, eorumque civibus item Romam traductis, Servius Tullius, qui iniussu patrum regnum

---

(1) Dionys. Hal. III 1.
(2) Id. II 10.
(3) Liv. I 30.

adeptus erat; nova agrorum assignatione plebeiorum animos sibi conciliavit. Romulus et Ancus bina iugera plebeiis assignaverant; Servius septena (1), quia numero civium adeo aucto, bina iugera iam non satis essent ad familiam alendam: nam ager publicus ex quo olim, praecipue ex pascuis, commodum ceperant, tam multis hominibus eadem commoda praebere non potuit, at paucis. Haec agri portio (septena iugera) etiam serioribus temporibus usu valebat, ut Plinius (Hist. nat. XVIII 3) memorat. Manii Curii post triumphos (finito bello samnitico A. U. C. 464) immensum terrarum adiectum imperio, nota concio est; perniciosum intelligi civem, cui septena iugera non essent satis. Haec autem mensura plebi post exactos reges assignata est (Plin. loc. cit. XVIII 2). Sub Romulo rege bina terrae iugera populo romano satis erant, nullique maior modus a Romulo attributus est (2).

Vitium cultura, quae minima agri portione homines alit, multo serior esse coepit (3): primo, ut necesse erat, arva tantum coluere. Fortissimi viri, et milites strenuissimi ex agricolis gignebantur, minimeque male cogitantes. Agricultura adeo in honore erat apud romanos, ut agrum male colere, censorium es-

(1) Siculi Flacci de conditione agrorum.

(2) Plin. H. n. XVIII 4.

(3) Id. l. c. c. 5.

set probrum: quare libertini, qui agro colendo operam dabant, non qui artem exercebant ad vitae usum spectantem, in tribus recepti sunt, lege Appii Claudi A. V. C. 442 (1), sordidasque illi operas exercere existimabantur.

Quibus non erant agri propter paupertatem, stipendia merere non potuerunt: nam ad arma comparanda, et comeatum ad bellum necessarium coemendum, sumtu opus erat, quem, qui quotidiana opera victum quaerebant, facere non poterant; quorum simul familiae (uxores et liberi) si diutius abfuissent a suis, fame laborassent. Erant enim Romae cives de plebe, artes operosas, sordidas, humilesque tractantes (quas primo Romulus servis commiserat); liberi illi quidem cives, sed infimae sortis et conditionis, qui neque milites conscribi solebant propter ignaviam et pauperiem, et quod arma iis committere periculosum videbatur, nec tributo onerabantur propter tenues facultates, adscripti sunt exercitui sine armis accensi, fabri, tibicines, cornicines (2). Temporibus tantum periculosissimis milites conscripti sunt, ex. gr. gallis ad urbem accedentibus: tum enim opificum vulgus et sellularii, minime idoneum genus militiae, exciti, Veiosque ingens exercitus contractus, ut inde gallis obviam

(1) Liv. IX 46.
(2) Sigon. II 2.

iretur (1): eodem modo Mario primum consule, ubi plebs sic accensa esset, ut opifices omnes agrestesque, quorum *res fidesque* in manibus sitae sunt, relictis operibus frequentarent Marium (2).

Cives, qui herediis, hoc est agro ipsis assignato duorum vel septem iugerum instructi erant, quantum ad vitam sustentandam necessaria sunt, possidebant, vel facile sibi parabant; agri enim tam fertiles erant, ut septena iugera, partim arboribus consita, partim aratro submissa, familiae alendae sufficerent. Hi erant plebeii, quibus tributa imposita sunt, qui possessione gaudebant, qui patriam armis defendebant. Horum vel maximus numerus oneri non erat reipublicae, sed commodo: pauperiorum vero abundantia admodum periculosa et onerosa.

A Servio Tullio igitur primum conditio plebis romanae constituta et ordinata est; nam qui peregrini huc usque in civitatem recepti erant, nec nisi usu et consuetudine iura quaedam obtinuerant, nunc legibus de conditione et ordinibus civium latis, plebeium ordinem constituerunt, assignata viritim portione agri septenorum iugerum, sede in monte Aventino (3) (qui proprius plebeiorum ex eo tempore fuit) collocata;

---

(1) Liv. VIII.
(2) Salust. Jug. 73.
(3) Dionys. Hal. IV 13. 14.

sed imposito simul officio militiae pro modo facultatum et tributi ad bellum gerendum necessarii.

Multis enim peregrinis oppidorum captorum incolis, ut iam supra demonstratum est, in urbem receptis, qui curiis adscribi non potuerunt, quippe quae *genera* tantum *patriciorum* complectebantur, et communitate sacrorum continebantur, nova divisione et ordine opus erat pro plebeiis potissimum, quam Servius Tullius instituit pro loco (1), in quo habitabant plebeii, vel ubi agri et domus siti erant: quo facto plebeius ordo plane constitutus est. Hanc plebeiorum divisionem nominavit tribus, ex vetere Romuli instituto nomine sumto, sed ratione diversa; cum enim illae tribus ramnensium, titiensium, et lucerum eiusdem generis cives amplexae essent (φυλὰι γενικὰι), tribus a Servio institutae plebeios eodem loco habitantes continebant (φυλὰι τοπικὰι), quarum instituit triginta, agro romano in totidem regiones distributo; quatuor tribus amplexae sunt plebeios in urbe habitantes, quae minus honoratae erant, quam XXVI tribus rusticae; illae enim opifices, sellularios, libertinos, omnino inferioris sortis et fortunae homines continebant, quibus agri non erant, ut Cicero in Agraria II c. 29 aperte testatur his verbis: *Quaesivi quibus hominibus et quemadmodum illum agrum esset distributurus:*

(1) Dionys. l. c. c. 14 — Gellius XVIII 7.

respondit, a romilia tribu esse initium futurum. Quae est illa superbia et contumelia, ut populi pars amputetur, ordo tribuum *negligatur? ante rusticis detur ager, qui habent, quam urbanis, quibus* ista spes et iucunditas ostenditur?

Numerus plebeiorum qui agros non possidebant in tribubus urbanis etsi ab initio non tantus esset, quantus seriore tempore, cum agri bello capti satis adfuisse videtur, qui plebi assignaretur; nihilominus tamen si animum advertamus ad censum sub finem regni Servii Tullii, et post reges exactos habitum, tantum numerum civium inveniemus, ut iam tum multi fuerint, quibus possessionis agrorum iucunditas non esset, sed qui tribubus urbanis adscripti manuum opera vitam sustentarent, sordida opera tractarent, cum nonnisi agrorum cultus ingenuo dignus haberetur. Eiusmodi hominum non paucos fuisse etiam altero instituto Servii Tullii liquet, scilicet *comitiis centuriatis*, quibus omnes cives, ut et pro facultatibus tributa penderent ad bellum gerendum necessaria, armaturam sibi compararent, et stipendia mererentur, in quinque classes descripsit, et ita instituit, ut qui plurima reipublicae praestarent officia, etiam plurimum in republica valerent; quaevis classis in centurias est distributa, cui singula essent suffragia, pro ratione facultatum et tributi, ut pauci primae classis et quidem ditissimi efficerent XCVIII centurias totidemque suffragia reliqui XCVI. Ita effectum est, ut penes divites, optimates, omnis

reipublicae vis esset, pauperes vix suffragia ferrent, praecipue infimae sortis plebeii, in unam centuriam consociati, qui ideo etiam exemti erant militia propter paupertatem. Quinto quoque anno census et tributum ordinatum, et militiae officia descripta sunt.

Quibus autem officia in rempublicam imposita sunt, ut plebeiis, ex hac constitutione Servii Tullii, eis etiam iura tribui necesse erat, cum inter utrumque arctissima intercedat necessitudo. Haec iura tributi, ut militiae officiis adnexa, continebantur comitiis centuriatis, iure suffragii ferendi, sed tamen iura speciosiora, quam veriora: cum ditiores et optimates pauciores numero, et in unam classem conscripti magis inter se consentirent, et facile consilia ceterarum centuriarum everterent, cumque plebeii suffragia quidem ferrent ad magistratus creandos, non tamen ipsi creari possent usque ad tempora legum liciniarum. Gliscens inde invidia in lites erumpere solebat, quae rempublicam turbabant: et plane evertissent, nisi bellis continuis cum propinquis populis, in quibus omnes pro aris et focis pugnabant, prioribus post exactos reges et leges sacratas temporibus concordia ordinum conservata vel restituta esset: quod commodum serioribus temporibus bella cum longinquioribus hostibus vel extra Italiam praestare non potuerunt, cum multis civibus ne focus quidem esset, quem defenderent, nec esset quod metuerent sibi ab externis populis (1). Pauperum

(1) Plut. Gracch.

Romae ingentem numerum fuisse elucet eo: 1. quod heredia dividi non potuisse videntur, cum certus eorum numerus universitatem quandam agrorum efficerent, ut ducentorum iugerum (scilicet centenas portiones) *centuriam* agrorum (1); *actus* (2), quinquagenorum iugerum scilicet septenarum portionum agri: talisque agri portio vix sufficiebat ad familiam sustentandam; quare inter plures filios familiae dividi non potuit: 2. quod primis temporibus usque ad samniticum bellum opifices vix erant necessarii, romanis tam simplici cultu viventibus; postea vero cultu et luxuria auctis, servi divitum opificum vices subibant, quibus ita patricii abundabant, ut iis non solum ad agros colendos, sed etiam ad vitae necessaria comparanda uterentur: 3. quod Romae toties fames orta est, et necessitas distribuendi frumenti inter pauperes (3); quod urbs saepius peste laborabat, quam inopia augeret: 4. quod nexu, ex aere alieno orto, urgebantur pauperes; cum agros pignori opponere non licebat, sed debitor vinctus deducebatur a creditore: 5. perpetua bella agriculturam impediebant, vel avocando possessores agrorum ad stipendia meren-

---

(1) Varro de ling. lat. IV p. 10. Centuria primum a centum iugeribus dicta, post duplicata retinuit nomen. Festus V. ad voc. Centuria et centuriatus ager.

(2) Plin. H. N. XVIII 3.

(3) Livius II 34. — Dionys. Hal. VII 1 a 12.

da, vel incursionibus hostium, et depopulationibus vastato agro.

Haec frequentia pauperum civium reipublicae non modo oneri erat, cum ager romanus (hoc est quidquid montium camporumque, extra urbem, ex omni parte sociorum fines attingit) eos alere non posset, et respublica coacta esset suis sumtibus annonam ex terris propinquis advehendam et inter egenos dividendam curare; sed etiam periculo erant, cum novis semper rebus studerent, sperantes fore, ut sua conditio melior fieret, mutato statu reipublicae: itaque turbas movebant, et largitionibus propter tenues facultates maxime patebant. Quantumvis igitur reipublicae intererat numerum civium qui rempublicam defenderent augeri, tamen modus frequentiae erat qui transcendi sine periculo non potuit. Numero civium nimis aucto, remedio opus erat ad eum minuendum, ita tamen, ut vis reipublicae non infringeretur. Utrumque effectum est *coloniis deducendis,* quibus non solum commodis consulebant reipublicae, praesidiis in agros non satis tutos impositis, qui coloni semper in armis erant et stipendia merebant in exercitibus romanis; sed etiam commodis divitum, quorum fundos securos praestabant ab incursionibus et vastationibus hostium, et quorum potentia in republica aucta est, remotis seditiosis et turbulentis civibus; neque minus commodis plebeiorum, qui libenter se colonos scribi passi sunt, cum in coloniis agros, domos acciperent possidendas, civium romanorum iura et honorem non amitterent:

quae commoda tanta erant, ut patriae amorem, qui in Romam maximus erat, vincerent et superarent, praecipue cum coloniae tam arcto cum urbe patria vinculo coniunctae essent, ut *effigies parvae, simulacraque* (1) urbis appellarentur. Mali et turbulenti cives, qui milites conscribi non poterant, in colonias translati, agrisque donati, diligentes agricolae, boni cives et strenui milites facti sunt; adeo fructus operae et diligentiae malos emendat.

Ex hac igitur conditione civium romanorum, et ex ratione, qua ordines inter se coniuncti erant, e modo et ratione possessionis fundi, ratio et sapientia coloniarum deducendarum, et qui coloni fuerint, luculenter apparet.

De conditione et statu coloniarum.

Introitus.

Romani auctores quamquam utilitatem coloniarum et commoda inde in rempublicam romanam redundantia, optime perspexerint, idque expressis verbis indicent (2), tamen quia res ipsa suis lectoribus et ro-

---

(1) Gellius Noct. Attic. XVI 31.

(2) Livius XXVII 10. Harum coloniarum *subsidio* tum *imperium romanum stetit* (post pugnam cannensem). Contra Velleius Paterculus I. 15. Deinde dum Hannibal in Italia moratur,

manis et graecis notissima erat, nec de interno statu coloniarum, nec de forma constitutae civitatis, nec de relatione, quae inter eas et rempublicam romanam intercesserit, accuratius loquuntur. Quae de coloniis nobis scitu dignissima sunt, certe in orationibus contenta erant de legibus agrariis et de coloniis deducendis (quae res eiusdem fere naturae et conditionis sunt, saepiusque inter se coniunctae erant), agentibus: sed hae fere omnes interierunt praeter Ciceronis in P. Servilium Rullum, tribunum plebis, in eius consulatu legem agrariam rogantem. Haec vero iam eo tempore habita est, quo exacto bello sociali, deducendarum coloniarum ratio plane immutata erat, civitate omnibus sociis latinis et italicis, legibus plautia, papiria et iulia concessa. Locis itaque scriptorum comparatis, ex iis, quae paucis innuuntur verbis, elicere et coniectura assequi studeamus, quae coloniarum conditio interna, qui status civitatis, quae relatio ad rempublicam romanam fuerit.

Ex ipsa coloniarum definitione, quam e Servio Fuldensi haustam supra exposuimus, patet, colonias appellatas esse *coetum quemdam hominum* ex senatus

---

neque proximis post excessum ejus annis, vacavit romanis colonias condere, cum esset in bello conquirendus potius miles, quam dimittendus, et post bellum vires refovendae magis, quam spargendae.

consulto et plebiscito (1) *in oppidum munitum*, bello captum, *missum* quod certo iure oblineret.

Quae bello capta erant, iure belli romanorum erant: senatui populoque romano itaque arbitrium eorum competebat. Qui vero suis viribus suoque sanguine agros et oppida, ad quae pertinebant, hostibus eripuerant, agri capti partem suo iure postulare rebantur, sibi concedi: quare in senatu deliberatum est, utrum commodis reipublicae magis prospicere videretur, agros plebi adsignare, lege agraria lata, an colonia sit deducenda. Lege eiusmodi lata, triumviri agri dividendi, vel coloniae deducendae sunt creati ex antiquo more et instituto, ut referrent tres populi antiquas tribus ramnensium, titiensium et lucerum: quare etiam antiquitus ut plurimum triceni coloni deduci solebant, quibus tertia pars agri oppidi capti assignata est (2). Hic mos etiam serioribus temporibus non plane abrogatus est: nam Vulturnum, Liternum, Puteolos, Salernum, etc. tricenae familiae sunt dedu-

---

(1) Livius XXXVII 47. Ex senatusconsulto se absente facto in supplementum Cremonae et Placentiae colonos scripsit. — XXXVII 57. Bononia ex S. C. deducta. — XXXV 40 Vibo ex S. C. et plebisscitu deducta, etc.

(2) De Fidenis Dionys. II 53 de Caenina, et Antemnis II 35. τριακοσίους ἄνδρας ἀποίκους ἀπεστειλεν, οἷς ἔδωκαν αἱ πόλεις τρίτην κατακληρουχῆσαι μοῖραν τῆς ἑαυτῶν γῆς.

ctae; sed maiore periculo coloniis imminenti, et latiore regione bello occupata, adeo mille, mille quingenti, tria millia, vel viginti millia coloni missi sunt, latinis aliisque sociis in colonias receptis, quorum numerus pro numero militum ad exercitum romanum sistendorum constitutus est.

Lege de colonia deducenda lata, publice proclamatum est, ut, quicumque in coloniam abire vellet, nomen daret, quod in tabulas triumvirorum coloniae deducendae scriptum est: quare coloni scripti et nomina dedisse dicuntur. Quae in coloniis deducendis praecipue consideranda erant, Cicero in prima agraria in Rullum innuit (cap. V), quaeque totius rei ratio et descriptio sit, quorum hominum et in quae loca.

I. Qui coloni deducti fuerint.

Reipublicae romanae a suis exordiis ad finem libertatis usque continue bellum gerentis, in qua templum Iani per hoc temporis spatium bis tantum clausum erat, plurimum intererat quam plurimos et bellicosissimos cives habere. Non omnes autem cives ad militiam apti esse videbantur, etsi in puberem aetatem pervenissent, et ita viribus valerent, ut arma ferre possent. Nam cum ab initio bellum tantum in propinquis urbi Romae regionibus gereretur, in usu erat, ut qui defenderent patriam, non solum arma, sed etiam commeatum sibi ipsi compararent (1): quare

(1) Livius III 27. Quicumque aetate militari essent, armati

nisi qui quibusdam saltem facultatibus instructi essent, milites conscribi non potuerunt; excepti erant a militia capite censi et proletarii, infimae sortis homines, quorum res in manibus sitae erant, e quibus C. Marius primus suum exercitum conscripsit, cum iam nobiles et omnino in primis classibus censi detrectarent militiam (1).

Res bellica a Servio Tullio rege pro ordinibus civium ita constituta erat, ut militiae officia iniuncta essent civibus pro facultatibus suis in classes et centurias descriptis, e quibus exercitus pedester, legio, et equites conscriberentur. Coloni, praesidii causa in oppida bello capta impositi, exercitus speciem referebant: quare etiam coloni, ut milites, scribi dicebantur, eorumque praecipuum munus et officium erat, rempublicam armis defendere (2). Si oppidum bello captum, quod ad fines imperii defendendos vel proferendos aptum esse videbatur, colonis occupari placuit, e republica erat, ut ea re non solum militum ac defensorum reipublicae copia augeretur, sed etiam paupertati succurreretur. Nihilominus prioribus reipublicae temporibus capite censi et proletarii coloni non scripti esse videntur; quia omnino militiae parum ido-

---

cum cibariis in dies quinque coctis, vallisque duodenis adessent. — I 42 Arma imperata sunt (non data).

(1) Salust. Bell. Jugurth. 73.

(2) Livius XXVII 10.

neum genus esse putabantur propter paupertatem, qua impediti erant quominus arma et commeatum sibi pararent, et quia parum fidei in eis esse existimabant, qui non fundo vel heredio adstricti essent reipublicae. Haec quidem ratio sublata erat, si eis agri in colonia adsignarentur: tamen pauperioribus et infimae sortis hominibus non tantum facultatum erat, ut coloni deduci possent. Eo enim anno, quo colonia deducta est, agris bello vastatis, omni fructu agrorum privati, suis facultatibus vitam sustentare coacti erant; deinde instrumenta rustica, supellex, pecora erant comparanda: quae si aere alieno contracto sibi comparassent, nexi et addicti in creditorum potestatem incidissent, et tantum aberat, ut in meliorem conditionem pervenissent, ut ne militiae quidem officiis, quorum causa a republica missi erant, satisfacere potuissent: nam proventus binorum plerumque datorum, vel senorum et septenorum iugerum non tantus erat, ut se aere alieno facile liberarent.

Civium tertiae, quartae et quintae classis, fundo sibi assignato fruentium, nec plane facultatibus destitutorum filii emancipati, quibus patres rem familiarem instruere neque eos ita collocare possent, ut matrimonium inirent, qui tamen ad aetatem militarem iam pervenerant, stipendia iam meruerant, stirpis augendae causa coloni scripti esse videntur: interdum etiam veterani milites, ut remunerarentur eos pro meritis in rempublicam. Nam ante exactum secundum

punicum bellum nunquam de familiis in colonias missis, sed tantum de colonis sermo iniicitur; serioribus temporibus, amplioribus regionibus occupatis, cum opibus in republica auctis eiusque statu plane immutato plebeii ad fecem deprimerentur, neque, ut liciniae leges postulaverant, liberi homines, sed servi ad agrum colendum a divitibus adhiberentur, ad exhauriendam urbem hi quoque infimae sortis plebeii in colonias deducti sunt, ut Marius eos milites conscripserat: at ingravescente solitudine Italiae, ubi non parva praedia, sed latifundia tantum conspiciebantur, nec ingenuorum opera desiderabatur, agri incolis privati colerentur, miseriae pauperum succurreretur, et urbs exhauriretur a civibus ad turbas movendas proclivibus, quare tum etiam maior numerus colonorum deduci solebat, et saepe etiam familiae deducebantur.

Capti agri, qui non coloniis sunt occupati, eorum pars quaedam ad assignationes est destinata, legibus agrariis a tribunis plebis latis, qui id non solum agebant, ut plebeiorum commodis prospicerent, sed ut metu agrorum dividendorum, cui rogationi patricii semper summa vi obnitebantur, quorum in manibus usque ad leges licinias iura civitatis omnia erant, qui itaque, quae bello parta erant, sua putantes, et quae plebi concederentur assignationibus, et coloniis deducendis, non iure concessa sed gratia data, ut publicae saluti consuleretur, perhiberent, nova plebeiis iura a patriciis extorquerent, his assignationibus in sortes

singulas factis (quare ita divisus ager *viritanus* est appellatus), plebeii Romae manebant, et omnibus civium iuribus ibi fruebantur. Hanc igitur agri accipiendi rationem, quae tamen nonnisi in propinquis urbi Romae regionibus locum habere potuit (1), plebeii praeferebant agro colonico (2): sed raro tribuni leges agrarias, maximos semper motus concitantes, pertulerunt, ut probat lex cassia agraria, et quae sequuntur usque ad leges licinias, tum temporis omni reipublicae potestate a patriciis usurpata: quare ipsae liciniae leges agri modum constituentes, antiquatae sunt, nec utrique Gracco contigit esse tam felici, ut eas restitueret. Nihil itaque pauperibus, qui desiderio possessionis agrorum tenerentur (3), supererat, quam in colonias abire. Ex ratione imperii romani coloniae deductae sunt in agros nuper captos, quos coloni defenderent, et inde fines imperii extenderent, ut dum plebis desiderium agrorum explerent, suos sibi milites pararent, stirpi augendae prospicerent, fines tutos praestarent; quo saepe fiebat, ut commoda assi-

---

(1) Ager romanus, Pomtinus ager plebi divisus. Liv. VI 9.

(2) Liv. V 24. Romae multiplex seditio, cuius leniendae causa coloniam in Volscos deducendam censuerunt, quo tria millia civium scriberentur. Ea largitio sperni coepta, quia spei maioris avertendae solatium abiectum censebant.

(3) Liv. VIII 16 ut senatus praeveniret beneficio desiderium plebis de colonia Cales deducenda retulit.

gnationis agrorum, qui hostium incursionibus nimis expositi videbantur, si forte bellum gravius instaret, plebeios non permoverent coloniis nomen dare, ut pauci invenirentur, qui deduci vellent. Numero civium post restitutam legibus liciniis ordinum concordiam aucto, spe autem legum agrariarum sublata, et praesidio multorum in bello samnitico captorum oppidorum necessario, plurimae tum coloniae deductae sunt (1).

II. Coloni ex urbe missi habebant iura civium et suffragium.

Coloni quamquam a colendo agro nomen traxerunt, tamen proprie milites fuisse, et exercitus speciem retulisse, iam ex deductionis modo apparet: nam coloni sub vexillo congregati, et signis praelatis militaribus, deducti sunt (2); priusquam agri assignarentur, colonia eodem modo quo Roma a Romulo, qui antiquus mos et usus populorum Italiae fuisse videtur, circumducto aratro, iunctis bubus, tauro et vacca, aliisque caerimoniis inaugurata est.

---

(1) Propter pestem recusarunt plebes *Velitras* commigrare. Plut. Coriol. — Antium propter metum volsci belli. Liv. II 65. — Sinuessa, propter infestam a volscis regionem. Quosdam colonos taedio accolarum gallorum colonias Placentiam et Cremonam reliquisse. Liv. XXXVII 46.

(2) Cic. II. Philipp. 40. Ut vexillum tolleres, aratrum circumduceres. Sigon. de ant. iure civ. rom. cap. II. — Varro de ling. lat.

Qui ita ex urbe in coloniam deducti erant, cives erant romani, et civium iura retinebant, in novam civitatem recepti; coloniae enim arctissimo vinculo cum metropoli coniunctae erant, cum non solum se invicem tuerentur, sed coloniae etiam in omnibus rebus ad communem salutem spectantibus sub imperio romanorum essent: quare etiam decuriones coloniae, quoties de communi salute ageretur, Romam vocati sunt. In coloniam deduci, beneficium nominatur: ergo cives in colonias missi, deterioris conditionis esse non poterant, quam qui Romae remanebant: nec unquam qui detrectant abire in colonias inter causas referunt amissa iura civitatis, sed mala coloniae imminentia et pericula, taedium accolarum Romae eos retinebant, caritas patriae et suorum, spes facultates augendi, legibus agrariis agros accipiendi.

Paulus Manutius, in libro de civitate romana, negat colonos cives romanos fuisse (1) eo quod non censebantur; in censum autem referebantur omnes cives romani, qui Romae domicilium habebant, saepe etiam absentes, ut factum est censoribus C. Claudio Nerone M. Livio Salinatore, a quibus missi sunt per provincias ut civium romanorum, quantus ubique esset, referretur numerus. Census eo consilio potissimum institutus erat a Servio, ut qui arma ferre possent inscriberen-

(1) Graevii Thes. ant. rom. tom. I pag. 31.

tur, et tributi et militum inde magnitudo et numerus cognosceretur. Coloniae cum ex lege et ex constitutione sua certum militum numerum sisterent, et ad stipendium militibus dandum adstrictae essent, idque in coloniis ipsis a coloniarum censoribus ordinaretur, non erat quod coloni in censum romanorum referrentur: neque ideo civium ius et dignitas eis abiudicanda est, praecipue cum colonia effigies Romae esset. Censum, a coloniae censoribus habitum, Romam in tabulas censorum romanorum relatum esse elucet ex loco Livii (1), ubi de duodecim illis coloniis, in bello hannibalico militiam detrectantibus, earumque poena loquitur: quae poena, praeter duplicatum militum praestandorum numerum, ea erat, quod census eorum habitus Romam relatus est, isque ex formula a romanis censoribus data (hoc ipsum poenae causa), quod maiora stipendia pro numero militum imperata sunt, minis additis, eorum magistratus Romae retinere, si recusarent imperata facere. Colonos in censum relatos esse, ex hoc elucet. Cives colonos non fuisse; ex Manutii sententia etiam ex eo liquet, quod neminem unquam ex colonia ulla (et erant multae propinquae) suffragii ferendi causa Romam venisse legimus. Sed silentium scriptorum de suffragio a colonis Romae lato, nil probat: quia quoties coloni Romae

(1) Liv. XXIX 15.

aderant, suo iure in comitiis ferebant suffragia, idque usitatissimum, quod referretur non dignum inveniebatur.

Carolus Sigonius dicit (1), *optimo iure cives romani* esse videntur, qui domicilium Romae habuerint, qui tribuum et honorum potestatem adepti sint. Haec postulata non omnia in colonos conveniunt. Ius domicilium Romae collocandi in colonias deducti non amisisse videntur. Coloni enim vel ab hostibus expulsi, vel a veteribus oppidi incolis eiecti, quo se contulissent, nisi Romam? Eodem modo, qui taedio accolarum relinquerent coloniam. Colonias tribui adscriptas fuisse, probant plures inscriptiones, quibus nomina civium cum urbe patria et tribu inscripta sunt; sic Suessa Aurunca colonia, Vibo in tribu Aemilia, Cales in Publilia, Placentia in Veturia, Narnia in Scaptia inscriptae erant.

Omnino coloni deterioris conditionis, quam victi populi esse non poterant, quibus tam saepius ius civitatis concessum est, ut vel cum romanis in amicitiam redirent, vel in posterum hoc beneficio obstricti in fide manerent.

Aequis ex. gr. civitas data est, et cum eodem tempore duae novae tribus factae sint, Arniensis et Terentia, in eos inscripti esse et suffragia tulisse videntur (2). Idem privernatibus victis civitas data

---

(1) Sigonius de antiquo iure civium romanorum cap. I.
(2) Cic. de offic. I. 11.

est (1), fundanis (2), aricinis (3). Iam tribus Marcia et Scaptia factae sunt, in quibus autem formiani suffragia non tulerunt, sed in Aemilia, ut et Formiae: victi populi, civitate donati, municipes facti sunt, vel sine vel cum suffragio. Hi colonis praelati fuissent, si coloni privati essent suffragio: quod cogitari vix licet. Neque tribu moveri poterant: quod nota erat censoria cum ignominia coniuncta. (Tribu moveri, hoc est in aliam tribum minus honestam transferri, in aerarios referri, hoc est ignominiae causa in infimum civium ordinem reiici). Non igitur dubitandum est quin coloni cives pleni iuris fuerint: civium autem iura continebantur vel iure publico, hoc est iure suffragii, munera et magistratus creandi et gerendi; vel privato, singulis civibus competente. Iure suffragii et adipiscendorum honorum usi sunt, sed rarius, quia longius aberant ab urbe Roma; et cura rei familiaris et officia militiae perpetuo fere bello districtos detinerent, quominus saepius Romam se conferrent et civium iura exercerent; quaeque Romae in comitiis agebantur, parum ad se pertinere putabant, quorum conditio et status, constituta colonia, in ordinem redactus erat; quod proprie ius suffragii domicilio in urbe vel in agro

(1) Liv. VIII 21.

(2) Id. VIII 14.

(3) Id. VIII 17. Nomentani quoque et Pedani municipes facti sunt.

romano adnexum erat, ubi cives solemni modo ad comitia habenda et suffragia ineunda convocabantur; rogationes in comitiis peragendae, iis, qui rarius Romam accedebant, vix innotuerunt, quamvis per trinundinum publice proponerentur, ut ita commodis externorum civium prospiceretur nundinis Romam frequentantium. Coloni omnibus iuribus privatis civium romanorum utebantur: quae sunt, ius connubii, patriae potestatis (et in servos exercendae), ius gentile (sacra gentilicia), ius agnationis (hereditatis ab intestato), ius testamenti (et active et passive), ius adoptionis, legitimi dominii, mancipii et usucapionis, ius militares honores capiendi et in legionibus romanis stipendia merendi.

Colonos cives romanos fuisse et haec probant: coloniae civium romanorum distinguuntur a latinis. De veliternis (1) narratur, in eos gravius saevitum esse, quod *veteres cives* a patria defecissent. Cum in comparanda classe contentio orta esset cum coloniis maritimis, quae vacationem rei navalis postularunt, et tamen in classem cogerentur, *tribunos plebis appellarunt;* qui tribuni cum creati essent ut cives ple-

(1) Livius VIII 14. Veteres cives oppositi sunt novis municipibus aricinis, nomentanis, pedanis, tiburtinis: significat igitur, qui antiquitus cives fuerunt et nunc sunt, non qui olim, dum Romae essent, civitate fruebantur.

beios tuerentur, a nemine, nisi cive, in auxilium vocari potuerunt. Quaedam coloniae et municipia appellantur, iam tempore secundi punici belli: ex quo patet, colonos ut municipes civium iura habuisse. Hae coloniae a Livio municipia appellata sunt *Setia* et *Cora* (1). Post legem iuliam, qua plurimis civitatibus Italiae ius civium est datum, plures coloniae municipia appellantur, ut Placentia a Festo et Cicerone in oratione in Pisonem; Cosa a Cicerone in Verrem; Suessa Aurunca a Cicerone in Rullum, Nepete a Festo. Ex hac nominum coloniarum et municipiorum commutatione intelligitur, non solum eiusdem iuris fuisse, sed etiam municipia sicut colonias oppida munita fuisse: quod de coloniis liquet, cum praesidia hostibus opposita essent: de municipiis autem inde colligi potest, quod captivi municipiis custodiendi traditi sunt, ut Caesar catilinarios (2) custodire suadet (quae libera custodia dicta est): vel in colonias missi sunt, ut Bitis, regis thracum filius, cum Perseo macedonum rege captus, cum obsidibus Carseolos, coloniam romanam, est missus; Perseus cum Alexandro filio Albam in custodiam datus est (3).

Perperam quidam (4) colonias, ut municipia et

(1) Livius XXVI 8. Livius fortasse sui temporis usu haec oppida municipia nominat, quae belli punici tempore non erant.

(2) Salust. Catil. 51 ad fin.

(3) Liv. XLV 42.

(4) Klenze, Lehrbuch des röm. Rechts. 2.

praefecturas, inter subditos romanis retulit, cum tamen coloni pleni iuris cives essent, adeo ne latini quidem coloni subditi, sed liberi socii sint habendi. Populus enim romanus, sicut ratione habita generis constat ex patriciis et plebeiis, ita ratione habita iuris e civibus romanis indigenis, municipibus et colonis compositus est.

Ius autem suffragii ferendi, cuius exercendi colonis, praesertim in oppida remotiora deductis, non erat occasio et facultas, oblivione tandem ita antiquatum est, ut lege demum iulia restitueretur (1). Hoc autem iuris et honoris detrimentum quodammodo exaequatum est honoribus et magistratibus in colonia capiendis, ubi tota civitatis gubernatio penes eos erat.

III. De statu possessionis colonorum.

Coloniae cum occuparent oppida bello capta, aedificiis munita, quorum incolae partim bello interierant, partim e suis bonis expulsi erant, omnia, quae oppidanorum fuerant, belli iure romanis cedebant, et in publicum redigebantur; quae autem ad coloniam constituendam erant necessaria, colonis ex publico sunt tradita. Coloni itaque occuparunt domos a possessoribus vacuas relictas, in iisque rem suam familiarem instruxerunt; quod etsi non expresse narratur in lo-

---

(1) Cic. pro Cluentio dicit: Multos ex coloniis cives esse factos quod de antiquis incolis, vel de latinis est intelligendum.

cis, qui de coloniis agunt, tamen per se patet ex ipsa definitione, et ex actionibus post Veios captos (1). Tum enim plebeii deliberarunt de sede sua Veios transferenda, eiusque domos et patriciis et plebeiis assignandas et habitandas destinarunt: quae tamen migratio nihil aliud nisi magna quaedam colonia fuisset. Agri colonis adsignati sunt. Victi populi plerumque tertia parte agri sui mulctati sunt (2), qui publicus populi romani factus, si coloniam in eos agros deduci placeret, colonis est adsignatus, et antiquioribus quidem temporibus pro vulgari possessionis modo inter plebeios, bina singulis iugera agri; progressu autem temporis amplioribus agris occupatis, iisque in regionibus remotioribus, multo maior agri modus est adsignatus, ita ut in colonia in thurinum agrum deducta latina, singulis sexagena iugera assignarentur equitibus, peditibus tricena (3). Hac adsignationes erant he-

---

(1) Livius V 24.

(2) Dionys. II 35. τριακοσίους ἄνδρας, οἷς ἔδοσαν αἱ πόλεις τρίτην κατακληρουχῆσαι μοῖραν τῆς ἑαυτῶν γῆς. Hic ager colonis datus, erat publicus; namque Romulus promiserat, quae quisque privato jure possideret, eis non eripere. — ὄυτε κτίσιν ουτ' ἄλλο τῶν ἀγαθῶν ὀυδεν τοὺς πολίτας ὑμῶν ἀφαιρούμεθα. — De camerina ἐζημίωσαν τρίτῃ μερίδι. Dionys. II 50.

(3) Livius XXXIV 53. Bononia colonia, equitibus septuagena, ceteris quinquagena jugera. Liv. XXXVII 47.

redium colonorum pro militiae officio et stipendii loco datae, limitibus circumscriptae, et sicut romano in agro in centurias collatae, ut centum portiones binorum iugerum unum corpus efficerent. Praeterea colonis patebat ager publicus oppidi in quod deducti erant, quo non tantum utebantur ad pecora alenda, sed cuius, ut cuique lubebat, partem colendam occupabat. Ager enim publicus oppidi a colonis occupati plane in eorum ditionem transiisse videtur: nam illa bina iugera privata colonos sustentare non potuissent, praesertim aucta eorum familia, cuius curam romani negligere non poterant, cum coloni et stirpis augendae causa missi essent.

Qua de causa etiam non licebat, in locum, quo iam colonia auspicato deducta erat, dum esset incolumis, novam coloniam deducere, quia tum omnia iura veterum colonorum turbata essent, nova limitatione et assignatione opus fuisset, nec ager publicus ad omnes sustentandos suffecisset; sin autem peste, bello, vel aliis calamitatibus colonia afflicta esset, novos colonos adscribi et supplemento deductis iustum colonorum numerum restituere licebat: quod saepius coloni a senatu petebant, qui imminuto colonorum numero officiis militiae ex formula praestandis, satisfacere non possent, etsi novis colonis in supplementum missis nova etiam limitatione agrorum opus esset, quae veteribus colonis et oneri et detrimento erat. Nova etiam colonia erat inauguranda, quod Cicero

innuit (II Phil. c. 40). (Antonius nova colonia Casilinum deducta, vomere portam Capuae perstrinxit, ut florentis coloniae territorium minueretur). Agri assignati partim arboribus sunt consiti, partim aratro subiecti (quorum illi si ex agro publico erant occupati, proventus partem quintam, hi autem frugum decimam tributi nomine dabant) (1).

Coloni hoc sibi adsignatum heredium, cum iis, quae ex agro publico occupaverant, diligenter colentes, suas fortunas adeo augebant, ut nihil eis deesset ad bene vivendum; multaeque coloniae, ex quo hostium incursionibus non amplius expositae essent, neque perpetua militia ab agro colendo avocarentur, prosperrimo statu rerum gauderent. Cum autem e natura hominis sit, labore et diligentia parta tueri, nec parcere labori ad augenda bona, ut habeat praesidium senectutis, et liberis suis prospiciat, et relinquat unde commode vivere possint, ex turbulentissimis, dum Romae essent, civibus, optimi coloniarum cives, diligentes agri cultores, strenui milites (2), quorum auxilio in calamitatibus respublica romana stabat, facti

---

(1) Appianus bell. civ. I p. 353 edit. Amstel. Waesberge.

(2) Plin. H. N. XVIII 5. Fortissimi viri et strenuissimi milites ex agricolis gignuntur, minimeque male cogitantes. Tribus rusticae praeferuntur urbanis. — XVIII 3. Agrum male colere, censorium erat probrum.

sunt. Eam praeterea utilitatem coloniae urbi Romae praestare poterant, ut cum nimia civium copia saepe annonae inopia laboraret, e coloniis commeatus adveheretur: et hoc praecipue in bellis, non procul a coloniis gestis locum habuisse, Livius auctor est, colonias benigne comportasse commeatum.

IV. De officiis a colonis reipublicae romanae praestandis, eorumque in rempublicam romanam relatione et necessitudine.

Coloniae erant pars reipublicae romanae, ex eius sinu deductae, ut civibus deductis beneficio agrorum datorum commoda impertirentur, angustiae rei familiaris eorum minuerentur, augendarum fortunarum occasio iis praeberetur, omnino res et status eorum ita ordinaretur, ut bene de iis actum esse videretur. Quo beneficio obstricti, iam grati animi in rempublicam, bene de se meritam, necessitudine cum urbe patria coniuncti erant; huc accedebat pietatis vinculum (1) in communem patriam, cuius quasi effigies essent. Non vero, ut coloniae graecorum, hoc tantum pietatis vinculo cum urbe patria coniunctae erant; sed ut singula membra unum corpus efficiunt, ita coloniae quasi partes reipublicae romanae erant, ab ea

---

(1) Liv. XXVII 9. Quae liberi parentibus deberent, ea illos romanis debere, si ulla pietas, si memoria antiquae patriae sit.

pendentes, ad fines tuendos proferendosque destinatae, et ad communem patriam armis defendendam.

Colonia ex senatus consulto et plebis scitu decreta, triumviri (vel pro numero colonorum etiam decemviri: at si altera pars colonorum latini erant, quinqueviri e quovis populo) coloniae deducendae sunt creati, qui coloniam constituerunt, assignatis et limitatis agris inaugurarunt, leges colonis tulerunt, magistratus creandos curaverunt, omnibusque iuribus coloniae ordinatis et publicis et privatis, et ea quae colonis erant praestanda, constituerunt. Iniunctum autem colonis officium militiae. Ex ipsa ratione, qua coloniae deducebantur, perspici potest, colonos milites fuisse: nam praesidii causa loco cuidam sunt impositi, uti milites sunt scripti, sub signis militaribus, sub vexillo sunt deducti, militaris aetatis erant (vel veterani), et ad agros suos defendendos iam in armis esse coacti erant, cum propinquis hostibus plerumque oppositi essent. Itaque a triumviris *ex formula* constitutum est, quantum militum colonia praestaret, quot, quibus conditionibus, quibus in locis stipendia mererentur, quando militiae vacatio eis contingeret. Cum coloniae ea de causa deductae essent, ut defenderent fines, et bello parta tuerentur, coloni intra fines Italiae tantum militiae adstricti fuisse videntur, praeter colonias maritimas, in quarum natura iam erat, ut hostibus etiam externis opponerentur (1). Sed cum Hasdrubal secundo pu-

(1) Liv. XXXVI 3. In bello contra Antiochum maritimae

nico bello in Italiam irrupisset, ne maritimis quidem coloniis vacatio militiae semestris, de qua decertarunt, et quam sacrosanctam habere contenderunt, iis concessa est, dum hostis in Italia esset (1), exceptis Antio et Ostia; iuniores coloniarum iureiurando adacti sunt, supra dies triginta se non pernoctaturos esse extra moenia coloniae suae, donec hostis in Italia esset.

Quantus militum numerus coloniae praestandus sit, pro deductorum numero constitutum est: nam primi in coloniam deducti cum omnes militaris aetatis essent, ut iam ex ipso deductionis consilio elucet, cum sicut agri colonis divisi, ipsi quoque in centurias descripti essent, numerus militum coloniae praestandus ex norma agri assignati constitutus et in formulam redactus semper idem mansit (numerus primo deductorum colonorum) (2). Progressu autem temporis numerus militum coloniae vel auctus est, prole propagata; vel imminutus, colonia peste, bello, aliisque calamitatibus vexata: quod probat exemplum antiatis

coloniae detrectant militiae, provocant ad tribunas, unde patet vacationem ex usu fuisse.

(1) Liv. XXVII 38.

(2) Non semper totus numerus, ex formula praestandus a romanis imperatus est, sed pro necessitate vel auctus vel imminutus. Liv. XXIX 15. Duplicem numerum militum eorum, quantum quaeque colonia dedisset, ex quo hostes in Italia essent.

coloniae, quae deducta erat mille hominum, et totidem milites romanis praestabat. Quod si stirpe aucta colonia abundabat incolis, maiores, qui iam exactis stipendiis militiae vacationem nacti erant, ad coloniam defendendam domi remanebant: qui vero aetatis militaris erant, conscribebantur ad munus militiae in exercitu romano explendum (1). Numero autem incolarum coloniae calamitate quadam imminuto, ut non esset unde milites ex formula romanis prestarentur, nisi omnes, quibus ad agros colendos opus erat, ad exercitum scriberentur, sine suo damno id erat: coloni romanos adibant, et coloniae supplementum petebant; formula enim non est mutata, quamdiu colonia est servata, quia in ea contenta erat omnis ad urbem Romam relatio, eaque lex sacrosancta habebatur, qui auguriis adhibitis lata fuerat (2). Coloni et in nova sede fortunarum suarum iura et qualitatem civium retinentes (exceptis colonis latinis, qui latinorum iure utebantur) etiam in legionibus romanis stipendia sua fecisse videntur: quod civibus romanis suo iure competebat: nam in legione romana nemo mereri potuit, nisi civis romanus (3).

---

(1) Loc. cit. Per longam vacationem *numero iuniorum aucto*, delectus haud difficulter perfectus.

(2) *Sacro sancta* vacatio. Ostia, Antium.

(3) Onuph. Panvinii. Imperium rom. c. 16 de legionibus populi rom. Graevii Thes. ant. rom. I p. 414.

Coloniae nunquam in auxiliis enumerantur, ut socii nominis latini, sed subsidia vocantur (Liv. XVII, 10). Coloni ex censu suo, hoc est pro facultatibus suis, ut apud romanos ex instituto Servii Tullii, variis militum ordinibus sunt adscripti, eorum arma sibi comparare sunt adstricti, ut alii hastati essent, alii principes, alii triarii, qui fortasse singulas complebant centurias, quas ex ipsis colonis creati centuriones duxisse videntur.

Milites armis, tentoriis, commeatu instructi, praesto esse debebant (1): quare stipendio opus erat a coloniis suis militibus praestando, ex eo saltem tempore, ex quo militibus romanis stipendium ex aerario datum est in oppugnandis Veiis A. U. C. 350. Haec stipendia, eodem modo quo numerus militum, a triumviris coloniae deducendae erant fixa: et sicut numerus ex lege semper idem manebat, sic et stipendia neque aucta, neque imminuta sunt, nisi romani pro temporum ratione, necessitate urgente, plura poscerent, alio tempore aliquid remitterent, lege tamen nihil mutata. Multae causa, si quid coloniae peccassent, interdum maior numerus militum imperatus est, et maiora stipendia imposita, ut tempore secundi punici belli, duodecim coloniis militiam detrectantibus (2), quibus im-

(1) Tacit. Annal. I 17. Denis in diem assibus animum et corpus aestimari, hinc *vestem*, *arma*, *tentoria* redimi.

(2) Liv. XXIX. 15.

peratum est, ut duplicatum numerum peditum darent, quantum quaeque dedisset, ex quo hostis in Italia esset, et equites centenos vicenos (1). Stipendium praeterea iis coloniis in millia aeris asses singulos imperatum, exactumque quotannis. Hoc stipendium coloniis impositum convenit cum stipendio legionarii militis romani.

Polybius (VI, 37) dicit, stipendii nomine pedites in diem accepisse binos obolos (militibus sive frumentum, sive vestis tribueretur, aut etiam si quibus armis opus haberent, horum omnium pretia quaestorem de stipendio deduxisse), postea stipendium auctum est in denos in diem asses. (Tac. Annal. I, 17.) Sex oboli efficiunt drachmam, sive denarium, sive decem asses. Ergo in menses acceperunt milites 60 obolos, sive 10 denarios, sive 100 asses; qui numerus ex vetere norma romanorum, qua annus habebat decem tantum menses, efficit in annum mille aeris asses; *in singulos*, hoc est in singula militum capita. Hoc stipendium iam grave erat, duplicato numero militum a coloniis dan-

(1) Omnibus eumdem numerum equitum imperatum esse, vix credendum est, cum semper equites pro portione peditum scriberentur, nec omnes eumdem peditum numerum darent. Sine dubio reclamassent de iniquo numero equitum, si omnibus aequaliter idem numerus, nec pro numero peditum praedandorum iis impositus esset.

dorum (1); alio autem tempore, quo subsidium militum coloniae non per totum annum in armis esset, gravius onus coloniis impositum haberi non potest; praecipue cum quovis alio tributo, romanis solvendo, essent liberati (2); quibus autem ad necessitates suae civitatis, ad publica opera exsequenda opus erat, tributi nomine a suis magistratibus, censoribus, quaestoribus et aedilibus sunt imposita et exacta. Alia vectigalia suae civitati praestanda erant decuma et quinta pars proventus agri publici occupati, scriptura pro pecoribus in pascuis publicis alendis, quae ad coloniae aerarium sunt relata.

De discrimine militiae coloniarum.

Romani usque ad primum punicum bellum nonnisi terrestre bellum gesserunt, tamen iam mature rex Ancus Martius utilitatem maritimae coloniae perspexit,

---

(1) Liv. XXIX 37. Duodecim coloniarum (quod numquam antea factum est), deferentibus ipsarum coloniarum censoribus, censum acceperunt, ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta exstarent.

(2) Vectigal agrorum ad aerarium romanum referendum, coloniis non impositum erat, nam ne liberis quidem civitatibus provinciae Siciliae quod in fidem romanorum se dederant, impositum est; deterioris autem conditionis coloniae Italiae esse non potuerunt. Cic. orat. III c. 6.

Ostiamque coloniam deduxit, quae tueretur commeatum in Tiberi subvehendum; Tarquinius superbus Circeios colonia occupavit, praesidium mari futurum: praeterea Antium, Minturnae, Anxur, Alsium in infero, Sena in supero mari coloniae maritimae sunt conditae. His munus militiae navalis est iniunctum, naves et nautis stipendia praestabant. Quod si romani navibus non indigerent, bellum autem terrestre maiores copias postularet, hae coloniae ad militiam etiam terrestrem sunt adactae (1): neque exceptio vacationis, in quam provocabant, valebat, praeter eam, quam Ostia et Antium sacrosanctam ex constitutione sua habebant. Reliquarum iuniores, adventu Hamilcaris in Italia, adstrictae sunt.

Maritimis autem coloniis, exceptis Ostia et Antio, quibus antiquitus naves erant, munus militiae navalis tempore demum primi punici belli impositum esse videtur. Polybius (2) enim, usus auctoribus Philino et Fabio (I, 15), narrat, romanos cum primum copias Messanam traiecerint, tantum abfuisse ut tectas naves habuerint, ut ne navis quidem ulla longa iis esset: itaque navibus actuariis et triremibus a tarentinis, locriis et neapolitanis mutuo sumptis, milites transmisisse. Navibus autem aedificatis ad exemplar

---

(1) Liv. XXVII 38.

(2) Polyb. I 20. Ostia Cic. de republ. II 18.

carthaginiensis, littori impactae, et classe instructa, remiges in terra ad remigandum instituere coacti erant. Tum demum prima victoria navali ad Milas a C. Duilio reportata, res navalis romanorum instructa est, et coloniae ad mare sitae ad militiam navalem, qua tum primum indigebant, sunt adstrictae. In illis coloniis periti navium aedificandarum, non coloniae, sed romanorum sumtibus naves parabant; earum autem ornandarum munus coloniarum erat maritimarum, quae non solum remiges, sed etiam milites navibus imponebant, stipendia praestabant, omnino militiam navalem exercebant, quoties eorum auxilio opus esset.

De interna coloniae constituendae et regendae ratione.

Coloniae in oppida a romanis capta, quorum incolae plerumque non plane interierant, deductae, duplici hominum coetu erant compositae: quorum alter a populo victore missus, cum eo arctissimo vinculo cohaerens, eius partes suscepit, et in nova colonia regnavit; alter vero veterum incolarum, quibus pars, plerumque tertia, agrorum suorum multae loco adempta erat, qui reliquos agros, sibi relictos ita possidebant, ut dominium quidem utile penes ipsos, directum autem penes romanos esset, colonis subditi erant, quod romani sua in victos iura, et potestatem in colonos transtulerant. Iam vero hoc ipso, quod coloni in armis erant, veteres incolae inermes, in illorum

manibus omnis civitatis potestas sita erat. Ager publicus in potestatem colonorum transiit: veteres incolae, cum coloni non omnem in suum commodum convertere possent, eodem uti potuerunt, sed iisdem conditionibus, quibus cives romani suo agro publico utebantur, vectigalibus, decumae et scripturae impositis aerario coloniae, quasi locandi pretio praestandis, quae omnia ad similitudinem urbis Romae constituta erant. Privati agri, veteribus incolis concessi, tributo onerati erant romanae reipublicae praestando. Quae cum ita essent, veteres oppidi incolae colonos inimico inter se animo receperunt, nec facile animum immutarunt et in gratiam redierunt; quibus autem coloniis veteres oppidorum incolae ipsi adscripti sunt, ut Antii, Ardeae, Cossae (Liv. XXXIII, 24), ibi uterque coetus, etsi fortasse separatus, tamen communi sede, militia, commodis quibusdam coniunctus, mox coaluit. Quod in multis coloniis latinis non minus locum habuit, cum saepe in loca deducerentur, quae prius in sua ditione fuerant; in reliquis autem coloniis idem evenit, ex quo, legibus liciniis latis, Romae connubia inter utrumque ordinem permissa erant: quas leges coloni civium romanorum et ad se pertinere arbitrantes, quippe qui populum si patricios (ordinem) victi plebem referrent, connubiis (1) cum

(1) *Connubium* habent cives romani cum civibus, cum latinis et peregrinis ita si concessum sit. Ulpian. Fragm. tit. V. §. 4.

veteribus incolis initis, et commercio (1) permisso, in unum quasi corpus concreverunt. Quo facto maior quidem vis coloniarum extitit, sed etiam maius periculum, ne obliti originis suae et patriae, allecti a peregrinis, a romanis deficerent, si bellum oriretur cum populis, consanguinitatis stirpis et affinitatis vinculo cum veteribus incolis coniunctis, ut probat iterata defectio Antiatis coloniae. Ex altera parte maxima illius arctioris coniunctionis commoda non sunt praetereunda. Cum enim reipublicae romanae plurimum interesset, omnia bello parta in unum quasi corpus redigi; coloniarum ope, ex quo arctior coniunctio cum veteribus incolis locum habebat, hoc praecipue effectum est, cum colonis inter eos versantibus populi victi paulatim linguae, moribus, legibus ac institutis romanorum adsuescerent (1).

Quamvis coloniae leges suas ac instituta a romanis acciperent, et plane ab eorum arbitrio penderent (2), interna tamen civitatis administratio a coloniae magistratibus gesta est. Ad civitatem igitur administrandam, et ad ius dicendum, magistratus creati sunt et senatus institutus est, qui aeque ac in municipiis decurionum

---

(1) *Commercium* id est vindicatio, cessio in jure, mancipatio, nexum: Cic. pro Caecina. 36. nexa, hereditates.

(2) Puteoli sunt in sua potestate, suo jure libertateque utuntur. Cic. in Rullum. — Circeienses et veliterni captivos a romanis repetunt, ut in eos suis legibus animadvertant.

nomen habebat: qui, pro vetere numero trecentorum colonorum, numero 30 fuisse videntur, quorum decem centenos colonos repraesentabant, quorum autem numerus auctus est, maiore colonorum numero deducto. Ut Romae annui bini consules creabantur, ita in effigie urbis duumviri, qui praeerant collegio decurionum (ordo decurionum, et curiales a curia appellabantur, interdum etiam senatus). Occurrunt etiam in coloniis quatuorviri, ubi censores coloniae, et duumviri sunt intelligendi, vel duumviri iuri dicundo, quorum saepius in inscriptionibus fit mentio. Censores censum agebant, civium classes, militum ordines constituebant, et stipendia militibus danda ex formula in deducenda colonia proposita (1), vectigalia etiam imperabant, et ad aerarium referebant. Praeterea inter magistratus coloniarum referendus est quaestor, qui, ut romanus, aerarii curam agebat, quaeque ad militiam et ad stipendium militum pertinerent, administrabat. Aediles (2) deinde curam habebant fori, com-

(1) Gellius XVI, 13. Coloniae, quae non extrinsecus veniunt in civitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex civitate quasi propagatae sunt, et iura institutaque omnia populi romani, non sui arbitrii habent. Quae tamen conditio cum sit magis obnoxia, et minus libera, potior tamen et praestabilior existimatur, propter amplitudinem, maiestatemque populi romani, cuius istae coloniae quasi effigies parvae esse viderentur. Liv. XXIX 37.

(2) Otto, De aedilibus coloniarum et municipiorum. Traiecti 1732.

mercii, viarum, aedificiorum publicorum, et agri publici, lites dirimebant de possessionibus, et ius dicebant in talibus causis.

Magistratus autem coloniarum ex ipsis colonis sunt creati, censu certo cuivis, saltem decurionibus, praescripto; qui duumvir non fuerat (ordini adscriptus fuerat), neque duumviratu, neque aliis honoribus fungi potuit. Nunquam ex veteribus incolis quisquam ad magistratum capiendum accedere potuit, cum non pertineret ad populum, cui haec munera reservata erant, nisi in illis coloniis, ubi veteres incolae et ipsi colonis adscripti erant. Iudicia igitur, honores, magistratus, omnis civitatis administratio, et ager publicus penes colonos erat: veteres incolae erant subditi belli iure non solum populo romano, sed etiam colonis in suos agros deductis, duplicique onere vectigalium premebantur: idque ita moleste ferebant, ut cum occasio se praeberet, se in libertatem vindicare studerent, eiectis colonis: quod scriptores ita narrant, quasi colonia defecerit. Exempla sunt Antium, Fidenae, alia. Coloni etiam sacra sua secum in coloniam transferebant, et eodem religionis cultu cum patria manebant coniuncti; curias enim quodammodo romanas in coloniis referentes (ordinem puto), sacra etiam administrabant, ex iis sacerdotes sunt electi et augures coloniae, quorum Cicero mentionem facit (1).

(1) Cic. II Agrar. in Rullum.

Postliminium (1), hoc est ius in patriam redeundi et priora iura recuperandi, quod amisit ab hostibus captus, vel filius a patre venditus, colonis, utpote civibus romanis, non crimine e patria eiectis, sed sua voluntate in commodum reipublicae in colonias deductis, certis quibusdam conditionibus propositis negatum esse non potest; quod si sine ulla conditione postliminii iure utendi potestas colonis concessa fuisset, fieri potuit, ut non locupletiores quidem coloni, sed qui vel profusione, vel bello, vel aliis calamitatibus sua bona amisissent, hoc iure uterentur, et coloniam relinquentes Romam reverterentur, unde multa incommoda et coloniis et reipublicae romanae orta essent. Coloni enim, numero suo ita imminuto, suis officiis in rempublicam romanam satisfacere non potuissent, quae in paucos redacta, graviora fuissent, vires coloniae defecissent, timendumque erat, ut hostibus resistere, et sua tueri non possent. Roma vero denuo repleta esset pauperibus civibus, cum miserrimus quisque ibi salutem suam quaesiisset, quos tamen ex urbe removere non minima deducendae coloniae causa fuerat. Conditio autem, sub qua coloni postliminii iure uti poterant, haec erat, ut abeuntes ex colonia ibi filium relinquerent, qui suas vices subiret, et in suum locum succederet, et ratione officii militiae et stipendii

---

(1) Gell. VII 18. — Cic. top. 8 de orat. I. 40.

colonis praestandi : quo facto et numerus colonorum est servatus integer, et officia assignatis in colonia agris inhaerentia, et in posterum praestata sunt. Lex enim, a Livio memoriae tradita, sociis ac nominis sabini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives romani fierent; quod si sociis adeo concessum est, veteribus civibus, qui satisfacerent eidem conditioni, negari non potuit, quamvis expressis verbis non invenitur in ullo auctore.

De coloniis latinis.

Romani, Alba Longa, olim latini foederis capite, capta et eversa, aliisque civitatibus latinis, ut Ficana, Tellene, Medullia, Politorio expugnatis, earumque incolis in urbem receptis, iam viribus aucti in animum induxerunt in Albae locum succedere, foederisque latini sibi imperium summum conciliare. Iam Servius Tullius rex hoc propositum quodammodo assecutus est (1), consilio augere imperium conatus: latinos enim perpulit, ut cum romanis aedem Dianae in Aventino facerent, quo facto confessi sunt Romam caput rerum esse. Tum autem romani praesidium tantum in rebus sacris faciendis habuisse videntur. Tarquinius superbus hoc nondum contentus, praeter prae-

(1) Liv. I 45. — Dionys. IV 26.

sidium foederis latini, et belli imperium sibi comparare studuit. Suis artibus, interfecto Turno Herdonio, qui se ei opposuerat, id assecutus est, ut summus dux belli foederis latini agnosceretur (1): sed imperium hoc modo non Romam est translatum, sed regis potius personae adnexum erat.

Volscis quoque, eretranis et antiatibus, nec non hernicis foederi adiunctis, praeside rege romano, quadraginta septem foederatae civitates in monte albano commune sacrum Iovi Latiari celebrabant, quod ferias latinas vocant. Quod foedus cum regis personae, qui praeses sacrorum et dux belli electus erat, adnecteretur, post regem ex urbe expulsum romanis solutum est. Latini adeo ex hoc foedere cum rege Tarquinio icto, arma ceperunt ad regem in imperium restituendum: gravissimo autem proelio ad lacum Regillum victi, patrocinium regis expulsi non amplius suscipere ausi sunt. Tamen regibus expulsis omnis relatio inter romanos et latinos soluta erat.

Aliquot annis post, Sp. Cassio, Postumio Cominio coss., A. U. C. 261 foedus cum latinis a Sp. Cassio renovatum est; quod tempore secessionis plebis in montem sacrum, non modo non arma movere et inde commodum capere tentaverant, sed romanos adiuvare contra plebem parati fuerant. Foederis conditiones hae

(1) Liv. I 52. — Dionys. IV 48 49.

erant (1): Romanis et latinis mutua pax esto, dum coelum et terra locum non mutant; neutri alteris bellum inferunto; bello agressis omnibus viribus opem ferunto, et belli praedam ex aequo dividunto; de privatis litibus contractis iudicio dirimunter intra decem dies in foro eius populi, ubi contractus factus fuerit. His foederis conditionibus nihil addere aut demere liceto, nisi placuerit omnibus latinis et romanis. Hernicis (2) non multo post iisdem conditionibus, quibus latinis, foedus concessum est a Sp. Lartio. Romani autem proceres indigne ferebant, cognatis suis latinis aequari alienigenas, et spectatae fidei hominibus ii quibus nulla in romanos essent merita.

Hoc foedere inter romanos et latinos icto, secundum quod neuter populus de iure suo quidquam remittebat, sed uterque populus aequo inter se iure coniunctus erat (3), multi latini et hernici, cum de agris ex lege cassia ageretur, Romam se contulerunt, ut ibi suffragia ferrent. Haec Dionysii narratio, nisi errore laboret, probarit, iam tum sociis latinis et hernicis ius suffragii, ergo etiam civitatis fuisse, saltem de rebus ad utrumque populum pertinentibus, ex foedere agendis, ut de praeda communi bello capta:

(1) Dionys. VI 95.

(2) Dionys. VIII 68.

(3) Dionys. VIII 74 73. οἷς νυνὶ δεδώκαμεν τὴν ἰσοπολιτείαν.

quod non sine aliqua veri specie est, si respicimus vocem ἰσοπολιτεία in foedere adhibitam, unde illud ius derivari posset. Commercium utrique populo fuisse elucet ex eo, quod de litibus privatis in foro eius populi, ubi contractus factus sit, diiudicandum sit, ut est in foedere: quae lites ad res, quae erant in commercio, pertinebant, ut de mancipatione, vindicatione, cessione in iure. Praeda bello capta (λάφυρον καὶ λεία, res, pecudes, homines, agri), aequaliter inter latinos et romanos ex foedere erat dividenda. Ad hanc praedam agros quoque referendos esse, ex lege cassia intelligitur, in cuius disceptatione romani non omnino negant, latinis agros dandos esse, sed tantum agros, de quibus tum sermo erat, prius captos esse, quam foedus cum latinis sit initum. Agros autem ab hostibus captos, coloniis in eos deductis occupandi, et in populorum qui victoriam reportaverant commodum convertendi, antiquissimum institutum populorum Italiae fuisse videtur, quod romani et latini imitati sunt. Agris igitur, communibus viribus populorum foedere iunctorum, captis, quorum is situs erat ut coloniis eos occupare necesse esset, quia alio modo iis uti non potuissent, vel utriusque populi colonia in eumdem locum erat deducenda, vel agri expugnati, alternis vicibus vel a romanis vel a latinis erant occupandi. Illud antiquioribus temporibus rarius factum est, quod facile controversiis occasionem praebere posset, cum utraque colonia non iisdem, sed *suis quae-*

que legibus uteretur : hoc vero plerumque factum est, et fortasse ita, ut inter se convenirent de locis et finibus, in quos nonnisi latini, de aliis in quos romani colonias deducerent (1).

Post foedus inter latinos et Tarquinium ictum, coloniae Signia civium romanorum, Circeii latinorum (est enim inter colonias latinas militiam detrectantes) deductae sunt. Circeios a Coriolano bello volsco captos, postea restitutos, supplementum colonorum romanorum missum esse videtur, quare a Livio (VI, 17) cives romani nominantur. Tum missae Pometia et Cora latinae coloniae; Velitrae civium romanorum. (Supplementum A. U. C. 262 missum ex parte latini fuisse videntur.) Norba civium romanorum, Ardea romanorum et rutulorum. Antiquissimis igitur foederis temporibus alternis vicibus colonias deduxisse videntur latini et romani, quas Festus priscas colonias latinas nominat, deductas ex priore foedere, rupto, urbe Roma a gallis capta, renovato (novum foedus) A. U. C. 397 (2). Maior deinde colonorum numerus plerumque deductus est, ut millium quingentorum, duorum millium quingentorum (3). Inde col-

---

(1) Conf. Schraderi coniecturam de locis, in quos latinae coloniae deductae sint in Annal. Heidelberg. literat. 1823. p. 958.

(2) Liv. VII 12. — VIII 5.

(3) Puteoli, Salernum, Bruxentum. Liv. XXXIV 45.

ligi licet, cum tantus civium numerus ex urbe Roma iterum iterumque vix deduci potuisset, colonias tum temporis e civibus romanis et latinis compositas fuisse. Occurrunt etiam ex vetere more constitutae, tercentorum hominum, ex. gr. Anxur, ubi bina iugera agri civibus sunt assignata, cum in aliis coloniis multo maiorem portionem agri coloni acciperent. In coloniis, in quas et romani et latini deducti sunt, numerus colonorum utriusque populi pro numero militum ex foedere ad socialem exercitum praestandorum, constitutum esse videtur. Hic numerus militum a latinis et hernicis datorum, erat alterum tantum exercitus romani: quare et tertia pars praedae iis concessa (1). Tempore autem punicorum bellorum, cum romani tantum militum ex coloniis haurire possent, totidem pedites (2), quam in exercitu romano, duplex numerus equitum. Ex hac norma in agros a foederato exercitu captos, si coloni mittendi erant, duplex numerus sociorum est missus (duo millia latinorum et hernicorum, mille romanorum).

Romanis ex foedere cum latinis a Sp. Cassio icto principatum quidem, ut Tarquinius superbus exercuerat, quodammodo fuisse, ex eo intelligitur, quod fe-

---

(1) Liv. III 22.—VIII 3.

(2) Polyb. VI 28—Vellei. Paterc. II 15 duplici numero militum fungi.

rias latinas celebrabant, et in conciliis communibus sociorum latini nominis primum locum obtinebant; imperium autem belli iis concessum esse, neque ubi Dionysius de foedere agit, neque alio quodam loco legitur. Festus sub voce praetor ad portam tradit, romanos imperatores ad exercitum misisse *iussu* nominis latini, eumque praetorem esse salutatum, populos latinos imperium communi consilio administrasse. Is populus, qui eo anno imperium habebat, praetorem exercitui praeposuit, quod alternis vicibus factum esse videtur.

Cum iure praesidii in communi concilio, a romanis vel usurpato vel eis concesso, coniunctum erat, ut romani colonias latinas suis auspiciis, sub ducibus a romano senatu creatis, deducerent: ut de colonia Cales deducta (Liv. VIII, 16) aliisque clarissimis verbis exprimitur. Interdum uterque populus communi negotio coloniam constituit (loc. cit.) ubi quinquevirorum mentio facta est. Tum idem numerus a latinis additus, ut decemviri deducerent (nam V viros creare non erat usitatum). Coloniae autem sub romanorum auspiciis deductae sunt; quare etiam forma novae civitatis constituendae a romanis ordinata est. Ceterum ius publicum et instituta latinis et civium romanorum coloniis erant eadem, praeter ius suffragii, quod latinis non erat (nisi iis permitteretur, dum Romae essent, a magistratibus). Utriusque populi coloni suo iure privato et in posterum utebantur, in quo deductione in coloniam nihil mutatum est.

Coloniae latinae sunt igitur civitates in agro a romanis et sociis latinis capto constitutae, in quas latini vel soli, vel maiori ex parte deducti sunt: quibus colonis impositum est munus militiae in legionibus romanis merendae, et stipendiorum militibus dandorum, simul et ius honorum militarium, et magistratuum in colonia gerendorum: quibus si latini functi fuerant, iure civitatis romanae fruebantur, hoc est iure domicilii Romae constituendi, ibique in censum recipi et suffragium ferendi. Qui non fuerant magistratus, suffragii iure destituti erant: quare Boëtius in Ciceronis Top. lib. II, 39 dixit: cives romanos deductione in colonias latinas mediam capitis diminutionem consecutos esse (1) (Paulus leg. 5 Dig. de capite diminutis: Amissione civitatis fit capitis diminutio, ut in aquae et ignis interdictione). Neque vero latini, qui in colonias civium romanorum missi sunt, ideo ius civitatis romanae nanciscuntur, sed manent in priori statu iuris privati; novum ius (Livius XXXIV, 42 narrat) a ferentinatibus tentatum est, ut latini, qui in coloniam civium romanorum nomina dedissent, cives romani essent. Puteolos, Salernum, Buxentum (colonias civium romanorum: Liv. XXXIV, 45) ad-

(1) Cic. pro Caecina 33. Qui in colonias latinas proficiscuntur, amittunt civitatem romanam (si coloniae adscripti fuerint).

scripti coloni (latini), qui nomina dederant, quum ob id se pro civibus romanis ferrent, romanus senatus iudicavit, non esse eos cives romanos. Quod si consules romani legatos duodecim coloniarum, in secundo punico bello militiam detrectantium alloquuntur, eosque monent: » Meminerint, non campanos, neque tarentinos eos esse, sed romanos, inde oriundos, inde in colonias atque in agrum, bello captum, stirpis augendae causa missos; quae liberi parentibus deberent, ea illos romanis debere, si ulla pietas, si memoria antiquae patriae esset »; hoc non ad demulcendos animos deficientium colonorum, sed vere dictum est: coloni enim latini, sub auspiciis romanorum deducti, romani erant, quatenus in colonia ex iure publico romanis legibus vivebant, in legionibus romanis merebantur stipendia, Roma sub vexillo romanis triumviris ducibus sunt deducti; Roma erat metropolis et patria, cui debebant pietatem, quam violabant sua defectione; plurimis etiam harum coloniarum latinarum cives romani adscripti erant, qui ut pars minor cum latinis ita coaluerant, ut et ipsi officii sui immemores essent; cum his autem consul non agit, sed cum iis, qui proprie coloniam occupaverant cum latinis.

In hoc instituto ex foedere cum latinis icto vel alternas vel coniunctas cum latinis colonias deducendi, quibus quasi firmissimo fundamento imperium romanum nitebatur, summe romanorum in republica

administranda conspicua est ratio et prudentia. Nam coloniis praesidii loco in oppida bello capta dispositis, non solum fines prolatos tutos praestabant, populosque propinquos, eos observantes, in fide retinebant, et agros, quibus, quod latius ab urbe remoti et hostium populationibus nimis expositi essent, cives uti non potuissent, cultoribus instruebant, et simul ad milites alendos et stipendio iuvandos destinabant, militum numerum augebant, non imminuto numero civium in urbe (nam filii colonorum in patrum locum succedebant, ut in possessione agrorum, ita in officio militiae); sed etiam partem non mediocrem latinorum, in colonias deductam, tam arcto secum vinculo coniunxerunt, ut quasi obsides fidei totius foederis essent, et si res postularet, eorum ope et auxilio uti possent, ut impensis denique parcerent in militibus alendis, nec impensis ad eorum stipendia ex aerario urbis opus esset. His denique praesidiis per totam Italiam dispositis, ubicunque in hac terra bellum gererent, non solum oppida munita invenirent, in quae se recipere et unde subsidia et militum et commeatus accipere possent, sed etiam suos mores, suas leges, instituta inter populos Italiae propagabant, et ex hostibus et peregrinis sibi amicos conciliabant, stirpem etiam augendam coloniis curabant, et ne vastitas suorum agrorum, tot tantisque bellis gestis, ingrueret, praecavebant. Quibus de causis hae latinae coloniae praecipuum reipublicae firmamentum sunt habendae: quod

et in ceteris bellis, et praecipue in secundo punico, apparuit, ubi stare non potuisset imperium hoste tam forti urbi imminenti, nisi sustentatum suis coloniis, quae ita imperio continebantur, ut quasi partes reipublicae esse viderentur. Haec coloniarum conditio servata est usque ad bellum sociale, quo plurimis Italiae urbibus civitas est data: quo facto reliquae civitates coloniis sunt aequatae, quare etiam nomina coloniarum et municipiorum inter se commutantur.

De coloniis militaribus romanorum.

Gravissimo illo bello, quod romani cum samnitibus, latinis, etruscis aliisque populis mediae et inferioris Italiae gesserant ab A. U. C. 412 usque ad A. U. 464, quantum illi populi communibus viribus possent, clarissime romani perspexerant. Vires itaque sociorum dividere studuerunt, et quibusdam civitatibus, quae vel primae arma deposuerant, vel quas sibi conciliarent, quaedam civium iura concesserunt, easque municipia fecerunt (1). Praecipue hoc civitatibus nonnullis latinorum contigerat, quibus praeterea concessum, ut supra diximus, ut agri capti partem in suam utilitatem converterent coloniis deducendis. Haec imperii regendi sapientia in sociis conciliandis romanis

(1) Vellei. Paterc. I 14.

bene cessit, ut omni Italia sua potestate subiecta et pacata, et extra Italiae fines arma sua ferre possent, sociorum et coloniarum subsidiis adiuti, ut Siciliam, Macedoniam, Graeciam, Carthaginem imperio adiicerent, unde ingentes opes Romam confluerent. Crescentibus autem in dies opibus nobilium, qui summis in republica honoribus functi, provinciis praeerant, e quibus maximas sibi divitias parabant, unde evenit, ut discrimen facultatum inter cives maximum et periculosissimum esset: et dum optimates Romae affluerent divitiis, et lautissime viverent, in Italia et in provinciis amplissimis praediis fruerentur, ad quae colenda servis utebantur, iuxta eos paupertas inferiorum classium civium increbresceret, et per Italiam vastitas ingenuorum civium ita propagaretur, ut cordati cives metuerent, ne inde maxima mala enata reipublicae imminerent. Tiberius Sempronius Gracchus his malis mederi conatus, restitutis legibus liciniis de modo agrorum, sed ita moderatis, ut ne magna quidem incommoda divitibus pararent, tantum aberat, ut leges perferret, ut M. Octavius collega, a patriciis instigatus, rogationibus intercederet, et P. Cornelius Scipio Nasica Gracchum cum trecentis asseclis trucidaret. Sic primo in causa patriciorum, et in patrocinio pauperum, civium sanguis Romae effusus est. Caius deinde frater Tiberii, eiusdem vestigia premens, sed ut fratris mortem ulcisceretur, acrius patricios aggrediens, et plebeios spe commodorum adipiscendorum

alliciens, quo facilius rogationes suas perferret, cum M. Fulvio Flacco se coniunxit, qui rogavit de civitate et suffragio sociis dando. Quae spes sociis excitata, utriusque interitu irrita facta est, nunquam tamen plane abiecta: iterumque excitata a M. Livio Druso, eandem rogationem de civitate sociis danda renovante A. U. C. 662 (1), patriciis contra resistentibus acerrime, sociosque ex urbe, quo confluxerant hac spe ducti, eiicientibus, ex lege licinia mutia de civibus regundis A. U. C. 658 (quae vetabat, pro cive esse qui civis non sit) (2). Quo facto socii ita ira exacerbati sunt, ut cum commodis, quae suo sanguine redemerant, frui non liceret, ad unum omnes sociatis viribus arma moverent, novaque republica constituta, cuius caput erat Corfinium, Italicum a sociis appellatum, romanos cogerent, suorum postulatorum rationem habere. Sic ortum est bellum sociale, italicum, sive marsicum (3): quo exacto, reipublicae regendae ratio et necessitudo inter romanos et socios plane mutata est.

---

(1) Flor. III 17. — Aurel. Vict. 66.

(2) Cic. pro Balbo 21 24. — Cic. de offic. III 11. — Appian. de Bell. Civ.

(3) Conf. Keferstein de bello Marsico. Halae 1812. — Heyne in opusc. Academ. tom. III p. 149 — Freinsheim. Suppl. ad Livium.

Vario deinde marte pugnatum est, sed plerumque minus prospere a romanis, quorum consul P. Rutilius initio belli a Vettio Catone ad Telonium est occisus. Nec tamen iam patricii romani de se impetrare potuerunt, ut eos, per quos tantis commodis fruerentur, quorum auxilio imperium ad tantum fastigium elatum esset, in civitatem reciperent; et deficientes civitatis vires libertinis infimae sortis hominibus, ad obedientiam praestandam adsuetis, qui nunquam resisterent regnandi cupiditati optimatum, reficere mallent, quam sociis in civitatem receptis eiusdem fere secum gentis et sanguinis, summi apud suos honoris, et eximii, ut hoc ipsum bellum probat, ingenii et praeclarae virtutis, quos optimatum superbia fastidiebat, mox eodem gradu dignitatis ac ipsos futuros. Tandem romani multis belli calamitatibus fracti, cum tamen aliquantum honoris et virtutis iactura resarcita videretur, victoria a Serv. Sulpicio et Cn. Pompeio de sociis in Piceno reportata, nihilominus tamen timendum esset, ne secunda fortuna sociorum rebellantium allecti, mox etiam, qui huc usque in fide permanserant, ad eos deficerent, superbia optimatum imperii rationibus cessit: et ut fidos socios sibi conciliarent, et remunerarent, *L. Iulius Caesar* legem tulit de civitate sociis (qui in fide manserant) danda A. U. C. 664, aut qui arma deposuerant. Hac lege omnibus latinis et etruscis, qui a partibus romanorum steterant, civitas est data; alii quibus spes affulsit, fore ut depo-

sitis armis et ipsi in civitatem reciperentur, hac proposita conditione in deditionem venerunt, ut marsi, marucini, peligni, vestini; quo facto romanis contigit, ut sibi in imperandi principio, nisi victis concedere pacem, constare possent. Lucani quoque se dediderunt, samnites vero in armis manserunt, et bello civili inter Marium et Sullam exorto, marianis se partibus applicarunt, et cum Mario ad urbem victi sunt. Haec intestina discordia et bellum a Mithridate motum romanos permovit, ut civitatis accipiendae conditiones latius etiam extenderent, lege plautia papiria lata A. U. C. 665, qua civitas data est : si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent (foederatis ergo omnibus civitatibus ius civitatis concessum erat) si tum cum lex ferebatur in Italia domicilium habuissent, et si sexaginta dies apud praetorem professi essent (1). Omnes itaque civitates, quae fundi facti sunt legis iuliae, in civitatem receptae: sicut omnes qui conditione, lege plautia papiria proposita, usi sunt, civitatem acceperunt. Ex hoc tempore nullae neque latinae neque civium romanorum coloniae in Italia sunt conditae, quod vix locus reperiretur, ubi ex vetere instituto conderentur, et pacata omni Italia, praecipua causa deducendarum coloniarum cessaret. In Gallia cisalpina plures constitutae sunt post bellum sociale, ut Verona, Alba Pom-

(1) Cic. pro Archia c. 4.

peia, Ateste, Brixia, Comum, Laus Pompeia. Ne novorum civium ingens numerus, si Romam conflueret ad suffragia ferenda, ingenuis civibus romanis omnem vim in rempublicam eriperet, novi cives non in veteres XXXV tribus sunt recepti, sed octo vel decem novae tribus factae, in quibus suffragia ferrent, censoribus L. Iulio Caesare P. Licinio Crasso A. U. C. 665. P. Sulpicius tribunus plebis autem rogavit, ut novi cives in veteres tribus reciperentur: P. Corn. Cinna eamdem rogationem repetiit A. U. C. 667 (1), neque postea a Corn. Sulla antiquata est, ne novorum civium animos a se alienaret. Hic nimirum, cum Sulpicius ei belli mithridatici imperium abrogasset, ut Mario traderetur, Sulpicium interfecit, Marium ex urbe expulit, Mithridatem vicit, et redux in Italiam, victis marianae partis ducibus, Norbano et Scipione, Mario iuvene et Pontio Telesino, urbem ingressus, dictator dictus est (2): quo munere olim populus ad servandam patriam, hic ut plane rerum potiretur, et optimatum restitueret potestatem, usus est. Proscriptionibus enim omnes adversariae factionis removit, bona eorum vendidit: tum ordine restituto, ad vires suae factionis augendas decem millia servorum manumisit,

(1) Vellei. Paterc. II 20.

(2) Conf. K. S. Zachariae L. Corn. Sulla der Glückliche, als Ordner des rom. Freistantes. Heidelb. 1834.

quos a suo nomine Cornelios appellavit, multis municipiis ius suffragii et agros ademit (1) (quibus post mortem Sullae ius suffragii est restitutum), tribunorum plebis potestatem minuit, senatus auctoritatem auxit. Quam autem summam potestatem armis occupaverat, eodem modo tueri studuit, nova ratione coloniarum deducendarum instituta, quae ex eo inde tempore servata est. Nimirum ut veterani milites, quorum auxilio summam rerum adeptus erat, qui iam proscriptionibus facili sibi negotio divitias comparaverant, suorum laborum praemia caperent, Sulla integras legiones sub signis suis et vexillo, in oppida et municipia, adversariorum partes sectantia, quae dictatoris iram moverant, deduxit, et expulsis omnibus incolis, oppida eorumque agros legionibus assignavit, ut eos sibi conciliaret, iisque custodibus et satellitibus summae potestatis, armis partae, uteretur. Sic vetus institutum, coloniarum civilium deducendarum, civium ad militiam adstrictorum copia iam satis aucta, omissum, et earum loco *coloniae militares* sunt deductae, a quibus libertas reipublicae est oppressa. Multi enim municipes a coloniis eiecti, suis bonis et facultatibus sunt privati, incolarum Italiae fortunae sunt imminutae: milites enim opes, quas civibus extorserant, quas sine labore sibi paraverant, parvi faciebant,

---

(1) Praecipue in Etruria. Conf. Cic. pro domo sua c. 30.

eas non continebant, sed luxu et conviviis dispergebant, et aere alieno oppressi omnem spem in rebus novis moliendis ponebant, novaque bella civilia exoptabant (1). Non inveniebantur in illis militaribus Sullae coloniis illi veteres agricolae, milites strenui, minime male cogitantes; sed erant laboris impatientes, profusi, rerum novarum cupidi. Iacebat aratrum, agri vastitate squalebant, coloni rapaces civibus eripiebant: quae olim victores victis reliquerant, rapere, quam parare sibi bona malebant. Haec conditio coloniarum militarium ampla materies malorum erat, cuius contagio et eos invasit, qui sullanis temporibus suis bonis privati, ad infimam paupertatem redacti erant, ut vix esset, unde vitam sustentarent, nisi fraude et rapinis uti vellent. Vastitas Etruriae, quam iam Tib. Sempronius Gracchus miseratus erat, videns in agris solitudinem, cultores et pastores peregrinos et barbaros, nunc mirum in modum aucta erat, exactis ex praediis cultoribus, ex oppidis incolis, qui victus quotidiani omnis spei expertes circum errabant (2).

---

(1) Cic. pro L. Murena, 24 — II Catilin. cap. 9 de Faesulanis Sullae colonis. Salust. Catil. 16.

(2) Salust. Catil. 28. Manlius in Etruria plebem sollicitat, egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros, bonaque omnia amiserant, praeterea latrones, quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos ex Sullae colonis, quibus lubido atque luxuria ex

Neque illa commoda, quorum causa antiquitus civium coloniae deductae erant, ab his militaribus erant expectanda; veterani enim milites huc usque laboribus belli, nunc luxuria et desidia debilitati (1), vix stirpem augere, agrum colere, et in posterum milites, nedum suis profusis, stipendia praestare potuerunt.

Ceterum relatio coloniarum militarium ad rempublicam romanam eadem erat quae civilium: iisdem enim commodis utebantur, iisdemque officiis, reipublicae romanae praestandis, militiae et stipendii erant adstricti. Administrandae quoque et gubernandae coloniae militaris forma, a civilibus, de qua supra locuti sumus, non diversa erat. Hoc tamen discrimen inter civiles et militares intercedebat, quod in illis erat duplex coetus hominum, colonorum et veterum incolarum, quibus non solum belli iure tributum a romanis erat impositum pro agris, eis relictis, sed qui ad commune quoque coloniae aerarium pro censu suo quaedam vectigalia pendebant. Militares vero coloniae in municipia deductae, incolis expulsis, vel novas civitates condentes, quod antiquissimis temporibus nunquam factum est (si exceperis Signiam et postea

---

magnis rapinis nihil reliqui fecerat. Conf. Plut. in Tib. Gracch. cap. 4.

(1) Salust. Catilin. 17. Adhuc ex coloniis et municipiis multi, domi nobiles (Catilinae consilii participes erant) municipia Etruriae a Marii partibus steterant.

quaedam oppida Galliae cisalpinae), unum tantum coetum continebant, qui distinguebatur in senatum et populum, sive in ordines (decuriones) et plebem (1).

Sullae exemplum (2) colonias militares deducendi imitatus est C. Iulius Caesar: confecto bello civili, Pompeio in pugna ad Pharsaliam commissa victo, rerum potitus et ipse dictator perpetuus dictus, qui ut suos veteranos remuneraretur pro rebus gestis adversus gallos, britannos, germanos et inimicos pompeianos, deduxit colonias in plura oppida et municipia eodem modo, quo L. Sulla.

Triumviri quoque Antonius, Octavianus et Lepidus, Bruto et Cassio victis, colonias militares deduxerunt. Hos colonos non aliter ac sullanos sensisse et vixisse verisimile est: quare plane se dediderunt imperatoribus suis, a quibus nova commoda expectabant; quo facto liberae reipublicae forma imperatoribus et militibus cessit, qui suo lubitu omnia regebant, donec Octavianus tandem omnem rempublicam suo imperio subiiceret.

Coloniae militares a Sulla deductae hae fere sunt: Aretium (3), Volaterrae (4), Faesulae (5), fortasse

(1) Tabula Heracleensis. Conf. Mazochi commentarius in tabulam aeneam Heracleensem.

(2) Livius epit. 89.

(3) Cic. pro Muren. 24.

(4) Liv. l. c. 4.

(5) Salust. Catil. 24 27 30. Conf. Cic. II in Catil. c. 9.

etiam Clusium, Saturnium in Etruria; Praeneste, Signia et Norba in Latio; Spoletum et Interamna in Umbria; Sulmo in Pelignis; Nola (1) in Campania; Faventia et Ravenna in Gallia cisalpina. Omnino Sulla XLVII legiones in agros captos deduxit, et eis divisit. Appianus CXX millia hominum a Sulla deducta prodit. (Praeterea Frontinus in catalogo coloniarum Capuam et Suessulam lege sullana deductas nominat.) C. Iulium Caesarem colonias deduxisse constat, quae autem militares fuerint ad liquidum plane perduci vix potest. Campum Stellatem maioribus consecratum, agrumque campanum, ad subsidia reipublicae vectigalem relictum divisit extra sortem, ac XX millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent (2). Capua postea Iulia Felix nominata, Frontinus eam coloniam imperatoris Caesaris nominat; sed haec erat civilis. Legionibus stipendium in perpetuum duplicavit, et praedia viritim dedit (3), quae sunt praemia singulis data. Legionibus praedae nomine in pedites singulos bina sestertia dedit, assignavit et agros, sed non continuos, ne quis possessorum (4); quare hae assignationes non erant coloniae, quod non in oppida

(1) Epit. Liv. 89.
(2) Sveton. in Caes. c. 20. Vellei. Paterc. II, 44.
(3) Svet. in Caes. 26.
(4) Loc. cit. 38.

et municipia deductae sunt legiones, sed singulis praedia sunt data.

Casilinum etiam a Caesare colonia constituta est (1). An haec militaris colonia fuerit, non constat.

Colatia autem militaris colonia Caesaris erat; Paterculus enim dicit: » Octavianus primum a Colatia (2), mox a Casilino, veteranos excivit paternos, qui itaque eo in coloniam deducti erant ». Cicero epist. ad Atticum XVI, 8. » Octavianus veteranos, quique Casilini et Colatiae sunt, perduxit ad suam sententiam ». Ancona Caesaris colonia militaris fuisse videtur, de qua Appianus: » Legiones duas, quae Anconam erant deductae, ad Antonium transiisse ».

Praeterea Minturnae a Frontino, et multae coloniae nominantur, adiecto nomine Iuliae, ut Fanestris, Sutrina, Derthona, quae utrum a C. Caesare, an a Caesare Octaviano deductae sint, non liquet.

A triumviris Octaviano, Antonio et Lepido, Cassio et Bruto victis, XVIII militares coloniae, teste Appiano, decretae sunt. Sed hoc triumviro Antonio nondum sufficere videbatur: itaque XXXIV colonias militares condidit. Octavianus post victoriam ad Actium XXVIII colonias in Italia deduxit.

Hae fere sunt coloniae, earumque conditio tempore liberae reipublicae.

---

(1) Cic. II. Philipp. c. 40.
(2) Vellei. Paterc. II, 6.

Coloniae graecorum et romanorum paucis inter se comparantur.

Praecipua causa coloniarum deducendarum, ut terras bello occupatas in sua potestate retinerent, utrique populo communis erat. De coloniis romanorum hoc ex supra demonstratis clarissime elucet; ad eam causam apud graecos, quorum plurimae civitates mercatura florebant, etiam commoda mercaturae et rei nauticae accessisse, iam ex ipsis locis, in quos coloniae graecorum deductae sint, intelligitur. Coloniarum quae est deducta a graecis in Asiam, Thraciam, Italiam, Siciliam, Africam, praeter unam Magnesiam, quam unda non alluat? Ita barbarorum agris quasi attexta quaedam videtur esse ora Graeciae (Cic. de republ. II, 4). Athenienses in terras bello victas earumque urbes, quae multos suorum incolarum colonos misere amiserant, victis etiam agros ademerunt et colonis assignarunt, κληρουχία. Ut latius graecorum nomen habitaret, et barbaros reprimeret, missae coloniae dicuntur (Isocr. paneg. c. 9). Athenienses deduxerunt colonias in Pontum et in Thraciam, et in Italia Thurium: Corinthii, Potidoeam in Macedonia, et in insulam Corcyram: Milesii ad Pontum; hae omnes mercaturae causa.

Sed secessione etiam multae graecorum coloniae ortae sunt, nulla romanorum. In Asiae minoris oris

multae coloniae graecorum consederant, omnes fere ex patria emigrantes sua sponte, non consilio publico missae. Has fuisse liberas, neque legibus, neque iure patriae obstrictas, per se patet: reliquae vero consilio et lege suae civitatis missae, licet a metropoli suas leges et instituta acciperent, et ab ea penderent, saepe eis etiam summus magistratus ex patria praepositus esset, tamen temporis progressu haec necessitudo adeo imminuta est, ut nonnisi mercaturae commodis inter se coniunctae essent; cuius rei clarissimum exemplum est Corcyra, a corinthiis condita colonia, mercaturae commodis elata, et cum metropoli bellum gerens (Thuc. I, 25 seqq.).

Cum omnes graecorum coloniae mitterentur vel secederent ex urbibus liberis, earumque instituta et leges plurimum servabant: ipsae quoque, nisi ab initio iam liberae essent, mox in libertatem se vindicabant; quo facto vinculum, quod eas coniunxit cum metropoli, solveretur. Tamen metropolis principatum quemdam in colonias conservare conantur, qui etsi temporis progressu exolevisset, interdum vindicatus est, adeo ut renitentes coloniae graviter punirentur, vel everterentur. Exemplo sunt samii, puniti ab atheniensibus Diod. XII, 27 28. Necessitudo coloniarum et metropolis tamdiu conservata est, quamdiu utriusque commodum id postulabat. Primi deducendae coloniae duces semper ex metropoli eligebantur vel arcesseban-

tur, unde necessitudo coloniarum cum metropoli elucet. Thuc. VI, 4 : I, 24.

Sacra etiam patria coloniae conservabant, signa deorum patriorum, vasa et instrumenta sacra, ignem adeo ex penetralibus urbis patriae accensum secum ferebant. Thucyd. I. 146. Etymol. magn. ad voc. πρυτανεῖα. Paus. VII, 2. Hac re pietate et religione cum patria continebantur: impietatis erat, contra patriam rebellare, nisi ab illa violata esset, vel hostes eius adiuvare.

Romanorum vero coloniae nunquam secessione ortae sunt, nunquam (vel raro) novas urbes aedificant, sed in munita recipiuntur; semper consilio et imperii ratione deducuntur, commoda eis tribuuntur, tota reipublicae novae forma a romanis instituitur, sed et officia imponuntur colonis, et semper imperio ab urbe patria continentur; quae autem ad internum statum et ordinem spectant, ipsarum arbitrio erat permissum, quatenus non esset contrarium primae constitutioni, nec officiis in rempublicam romanam. Coloniae, quae defecerunt, severe semper punitae sunt, nec ulla unquam, ut graecae, se in libertatem vindicavit. Utrisque commune erat, ut mores, instituta, cultum, et sermonem patriae latius propagarent. Graecorum coloniae maiori gloria floruerunt, affluentes divitiis et urbium magnitudine et magnificentia, mercaturae ope paratis; romanae autem

maiorem utilitatem patriae suae praestabant, cuius imperium et augebant et firmabant.

Hactenus de coloniis in libera republica romana deductis.

De coloniis a romanis ante legem iuliam deductis, earumque conditione.

I. De coloniis sub regibus missis ab an. 753, ad 510, ante Chr. (ab A. U. C. 1 ad 245).

Romanorum in imperio et augendo et firmando ratio et prudentia primis ab urbe condita temporibus, praecipue in eo versabatur, ut, aucto numero civium, vires imperii crescerent; quoscumque igitur agros a victis populis bello ceperant, suos reddiderunt non solum publicos, sed etiam privatos, et in unum quasi corpus redactos, quo maiorem vim exsereret, sibi vindicarunt. Romulus iam ea de causa cives antemnates, caeninenses, crustuminosque a se victos Romam traduxerat (1), eorumque agros cum agro urbis Romae coniunxerat, ut qui urbi proximi, imperii fines continuo propagaret, neque minus sabinos quirites foedere icto in urbem receperat; eodem modo Tullus Hostilius rex, victos albanos, oppido eorum diruto (2)

---

(1) Liv. I, 11.

(2) Liv. I, 29.

in urbem receperat, sedesque in Coelio monte dederat. Ancus Marcius rex cives Politorii, Medulliae, Tellenae, et Ficanae, priorum regum secutus morem, Romae sedes figere coegerat, Politorio diruto, ne hostibus receptaculum esset. Iamque his populis receptis in urbem tanto incremento numerus civium auctus erat, ut difficilius coercerentur, et carcer ad terrorem crescentis audaciae aedificaretur (1). Cumque idem rex bello contra veientes prospere gesto ad ostium Tiberis novos et longinquiores agros ceperat, qui praesidio erant firmandi, ne romanis eriperentur, et incursionibus hostium vastarentur, primum perspecta est utilitas et necessitas coloniae eo deducendae, ad exemplum latinorum, etruscorum, aliorumque populorum Italiae, apud quos colonias condere iam in usu erat.

Ostia. Horum itaque morem imitatus Ancus, Ostiam primam coloniam deduxit in ore Tiberis ad mare sitam (salinae circum factae) eamque necessariam ad commeatum in Tiberi Romam subvehendum (2), atque tuendum. Quae vero a Livio (3) de coloniis Antemnas et Crustuminos a Romulo missis narrantur, veri speciem non praeseferunt, et re ipsa refutantur, quia tum Roma incolis nondum ita abundabat, ut colonias de-

---

(1) Liv. I, 33.
(2) Liv. I, 33. — Dionys. Hal. III, 44. — Flor. I, 4.
(3) Loc. cit. I, 11.

duceret, et quia agri maiore commodo cum agro romano coniungebantur, quam colonis dabantur, praecipue cum eo tempore nondum tantum agri urbi adiunctum erat, ut quantum cuique sufficeret assignaretur, cum Romulus bina tantum iugera civibus assignaverat: quod ad familiam sustentandam satis esse non poterat, nisi simul ex publico agro fructum perciperent, quod fiebat pascuis. Livius usum seriorum temporum, oppida civibus exhausta colonis tradendi, in tempora Romuli, ubi locum non haberet, transmisit, ut saepius suorum temporum usum in antiquiora transfert: nam nusquam earum coloniarum postea mentio est facta. Ostiae coloniae rei navalis militia est imposita, adiuncta vacatione militiae terrestris (1).

Fidenae. Saepius etiam a Livio et Dionysio Halicarnasseo mentio facta est coloniae Fidenas deductae; Romulus, mortuo Tatio, fidenatibus, qui crustuminos, romanis fame laborantibus, annonam ferentes, aggressos, bellum retulit, Fidenis captis, praesidio trecentorum hominum relicto, quibus agros eis ereptos divisit, coloniam constituit (2). Livius coloniam Fidenas a Romulo deductam non commemorat (I, 17), sed (I, 27) narrat, Fidenas aperte *descisse*, et

(1) Liv. XXVII, 38; XXXVI, 3.
(2) Dionys. II, 53.—Liv. I, 14 27.

cum veientibus societatem belli inisse. Tullus Hostilius eos infesto agmine aggrediens, exercitu albano accito, qui cum duce Metio Fufetio perfide secessisset, Tullus de hac re certior factus, clara voce exclamat; suo hoc iussu factum esse, ut albani nuda fidenatium terga invaderent. Quod ubi a fidenatibus auditum est, ut qui *coloni additi romanis latine sciebant,* terga vertunt. Ergo romanis subiecti erant, quia desciverant, sed colonia civium romanorum esse non potuit: nam romanos latine locutos esse, per se patet, nec diceretur fidenates colonos additos romanis: ita fortasse explicandum est, ut Fidenis captis praesidium romanorum urbi impositum est, sed etiam veteribus incolis permissum, ut coloni ad suos agros colendos redirent, imposito iis tributo et militiae officio, quod mox detrectaverant. Colonia tamen restituta esse videtur: nam iterum defecisse, et Octavio Mamilio concitante, cum xxx civitatum populis latinis societatem iniisse exactis regibus, ita ut T. Aebutio C. Veturio conss. Fidenae obsessae sint (1). Cum consanguinitate etruscis coniuncta esset (urbs Etrusca prius Liv. I, 15), fidenates iterum ad Lartem Tolumnium defecerunt, Quinctio Mam. Aemilio et L. Furio conss. (A. 317 U. C. ant. Chr. 437), romanosque legatos ad eos missos interfecerunt, sed oppidum eorum captum

(1) Liv. II, 19.

et dirutum (1). Nova tamen rebellio exorta est, tribunis militum romanorum a veientibus victis; fidenates novos romanorum colonos interfecerunt (2) (A. U. C. 329, A. N. C. 425). Aemilius dictator in concione animos ad puniendam iniuriam excitans, septimam iam dixit fidenatium infelicem defectionem esse. Fidenatium victorum equitibus et centurionibus singuli vel bini captivi dati, reliqui sub corona venumdati.

Signia et Circeji. Tarquinius Superbus rex bellum intulit volscis, Suessamque Pometiam vi cepit. Ut agros captos tueretur, Tarquinius duas colonias deduxit, Signiam, ortam ex praesidio a rege in volscis relicto, quod castra per hiemem in oppidi modum communiverat (3), et Circeios; quod latius fines imperii occupari volebat, praesidia urbi futura terra marique (4). (Signia A. U. C. 259. Appio Claudio P. Servilio coss. novis colonis aucta est, cum volsci eam expugnasse eiusque agros eretranis dedisse videntur, quo tempore romani opem ferre non possent; item Circeii A. U. C. 360.) Hae duae coloniae ad comprimendos volscos deductae erant, et fortasse latinis, qui non multo ante societatem cum Tarquinio inierant (interfecto Turno Her-

---

(1) Liv. IV, 17 22.
(2) Liv. IV, 31 34.
(3) Dionys. Hal. IV, 63.
(4) Liv. I, 56.

donio aricino), et in exercitu romano stipendia meruerant, datae, cum Circeii colonia in numero coloniarum latinarum enumeretur, secundo punico bello militiam detrectantium (1). Signia vero in fide manserat (loc. cit. 27, 10). Coriolanus Roma expulsus, colonos romanos Circeiis expulit, urbemque liberam volscis tradidit (2). Colonia restituta est Circeiis, nam Romae accusantur, ad volscos defecisse (3): ex quo iam patet, romanos illos colonos non fuisse, quibus defectionis causa non fuisset, sed latinos vel ex iis, qui proxime societatem inierant, vel eorum, qui e captis civitatibus in urbem recepti erant, et cum veteribus incolis oppidorum, in' quae coloni recepti erant, facilius coalescerent et defectionem meditarentur. Primos colonos a Coriolano eiectos romanos cives fuisse eo probabilius est, quod Tarquinius colonos Circeios et Signiam misisse Livius narrat (4), *quia multitudinem*, ubi usus non esset, *urbi* rebatur oneri esse, et quod (Liv. VI, 17) circeiensibus tristiora responsa reddita esse dicuntur, quod *cives romani* patriae oppugnandae nefaria consilia iniissent (5).

---

(1) Liv. XXVII, 9; XXIX, 15.

(2) Liv. II, 39.

(3) Liv. VI, 12 17 21.

(4) Liv. I, 56.

(5) A. U. C. 370 cum volscis coniuncti quidam circeienses contra romanos pugnarunt. Liv. VI, 14.

Hac sunt coloniae regibus regnantibus deductae. Quousque imperium romanum fines suos extendit, eo colonias misit, quae et fines extenderent, et unde romani praesidio et militibus paratis, vicinos populos non solum continerent, sed etiam subiicerent sibi. Quos itaque progressus romani in extendendis suis finibus fecerint, luculenter apparet ex coloniis deductis; nam fieri non potuit, ut eo coloni mitterentur, quo se non tueri, hostibus resistere, et ad bello iam parta servanda et firmanda usui esse possent.

Sub regibus igitur fines imperii romani prolati sunt ab Antemna ad Ostiam, et ad fines Latii veteris, cuius in extrema parte Circeii (1). Pomtinus enim ager Romae subiectus erat a Tarquinio Superbo, Suessa, Pometia capta, latini in societatem recepti: Roma vices Albae Longae subeunte, quae prius caput Latii fuerat. Rufus Festus (2), in breviario rerum gestarum populi romani, memoriae prodit, imperium sub VII regibus non amplius, quam usque ad portum atque Ostiam, intra octavum decimum miliarium a portis urbis processisse. Eodem modo Eutropius (3). Ita Romae regnatum est per VII reges annos CCXLIII, cum adhuc Roma, ubi plurimum, vix usque ad quintum decimum

(1) Plin. III, 5.
(2) Cap. V.
(3) I, 8.

milliarium possideret (1). Hic finium modus complectebatur agrum romanum: nam volsci quidem victi, nondum vero subiecti erant, quibuscum per ducentos annos bellum continuatum est (nempe ad A. U. C. 397) (2). Latini autem socii romanorum.

Quod attinet *ad conditionem coloniarum*, ex supra dictis hoc tantum colligi potest: colonias esse oppida munita, in quae coloni praesidii instar impositi sunt, ut fines imperii tueantur: colonis militiae officium iniunctum fuisse, quoties romani eorum auxilio indigerent; colonos cives romanos vel latinos fuisse, neque quidquam imminutum de iure, quod cives habuerint, sed cives romanos vel latinos mansisse, nam duarum civitatum (3) civis iure romano nemo esse potest, nec amitti civitas potest, nisi exilio (4); etiam ius suffragii exercuisse, quoties Romae adessent: agros oppidi capti vel publicos vel privatos colonis assignatos esse, unde victum, et quae ad militiam necessaria erant, sumerent. Cum coloniae ad imaginem urbis Romae constitutae essent, coloni erant quasi patricii (populus), veteres incolae vero plebs; penes illos erant magistratus et honores: illis, si partem agri re-

(1) Conf. Augustinum de civitate dei III, 15 ubi Varro: viginti miliaria prolatum erat imperium sub regibus.

(2) Ad A. U. C. 397.

(3) Cic. pro Balbo c. 11 et 12.

(4) Cic. pro Caecin. 34.

tinebant, tributum impositum est. Veteres incolas coloniae, si bellum romanis immineret, ab hostibus adiutos, colonos eiecisse: quod saepe ita narratur quasi coloni defecerint a romanis, qui antiquioribus temporibus sui commodi adeo immemores, vel pietatis erga patriam fuissent.

II. Historia coloniarum romanarum ab exactis regibus ad concordiam ordinum et leges licinias (A. U. C. 245, 389), earumque conditio.

Mutata regibus exactis forma reipublicae, cum patricii honoribus et opibus superbirent, plebemque opprimerent, iam satis vexatam perpetuo bello a veientibus et latinis ad regem restituendum gesto, quibus agricultura est neglecta, agri populati, quare plebeii coacti sunt aes alienum contrahere, miseria plebis, nexu a patriciis nimia severitate exercito, nimium aucta, motus gravissimos excitavit, per totum hoc aevum continuatos vel saltem identidem renovatos. Nec mirum miseriam plebis tantam fuisse, cum difficile sit intellectu, quomodo ager romanus, non ultra quatuor miliaria germanica quadrata complectens, tantum numerum hominum alere et sustentare potuerit: nam censu primum post reges expulsos acto, censa sunt capita 130,000, qui puberes essent (1), qui sub Servio Tullio non amplius 84,000 fuerant (2),

(1) Dionys. Halic. V, 20.

(2) Liv. I, 44 sub Romulo numerus civium, qui arma ferre possunt 46,000 peditum, 1000 equitum. Dionys. Hal. II, 16.

ingenti sane progressione auctus numerus, qui comparatus cum populatione terrarum nostri temporis vel maxime hominibus abundantium, ut superioris Italiae, ubi singula miliaria numerant sex millia incolarum, longe eas exsuperat. Neque numeri census in dubium vocari possunt: nam toties repetuntur, ut non ab auctoribus inventi, sed ex publicis monumentis hausti esse videantur. Haec plebis miseria, hi motus, secessio plebis in montem sacrum, legum agrariarum rogationes saepius repetitae satis indicant, medicina opus fuisse huic morbo, quae inventa est in coloniis deducendis. Accessit praeterea volscum bellum, per ducentos fere annos continuatum, quod duplici ratione cum illis causis coniunctum, occasionem praebuit colonis mittendis, ut et ea, quae bello ceperant romani, in usum suum converterent, coloniis volscos comprimerent, inopiae plebis succurrerent, urbem exhaurirent et causas motuum imminuerent. Quo factum est, ut hac aetate plures coloniae deducerentur, memoratu dignissimae, quarum historiam nunc persequi liceat, adiunctis quibusdam de earum conditione et statu.

Pometia, Cora. Pace cum Porsenna, qui ad Tarquinios restituendos Romam obsidione incluserat, composita, sabino bello imminente et auruncis arma moventibus, Agrippa Menenio Lanato, P. Postumio conss., duae coloniae latinae Pometia et Cora, ad auruncos defecerunt, quarum antea mentio nulla facta est, nec dictum quo

tempore deductae fuerint (1). Pometiam coloniam deductam esse, cum Tarquinius coniunctus cum latinis, foedere renovato, eam urbem debellasset a veritate non abhorrere videtur (Liv. I, 53): *ἐν τῇ Σουήσσῃ βραχὺ τι καταλείπει μέρος τῆς ςρατιᾶς* (Dionys. Hal. IV, 51). Harum coloniarum in monumentis, in quae relatae sunt coloniae a romanis deductae, ita fortasse earum mentio non facta est, quia latinis habitandae sunt traditae (A. U. C. 251). Tum autem, Tarquinio expulso, solutum erat foedus cum latinis: ergo etiam coloniae latinae non obstrictae romanis videbantur. Pometia itaque vi capta, coloni sub corona venierunt.

Eretras etiam in volscis coloniam deductam esse Dionysius memoriae prodit (2), neque adiungit, quo tempore id factum sit: hoc solum narrat, auruncos missis ad senatum romanum legatis postulasse, ut colonia Eretris decederet, et oppidum auruncis dederetur: quod nisi fieret, se poenas a romanis repetituros. Appio Claudio, P. Servilio coss. A. U: C. 259.

Velitras quoque deducta colonia A. Virginio, T. Veturio coss., vel potius M. Valerio dictatore; volsci enim in fugam coniecti sunt, eorum castra capta et persecuti ad Velitras usque, in quas victores cum

---

(1) Liv. II, 16 17.

(2) Dionys. Hal. VI, 22. — Eretrani deficiunt ad volscos Liv. III, 4 A. U. C. 290.

14

victis irrupere. Volscis ager veliternus ademtus, Velitras coloni ab urbe missi, et colonia deducta est (1), hoc est, permissum est, qui sua sponte coloni Velitras se conferre vellent, et scripti coloni ex senatus consulto deducti. Coloniae necessariae tum erant ad sedandos motus de aere alieno, ut nexu excitos, in quibus et Servilius cons. et M. Valerius dictator, levamentum plebeiis policiti erant, sed promissis stare non potuerant, App. Claudio in primis, reliquisque multis senatoribus renitentibus (A. U. C. 260). Qua re M. Valerius colonos Velitras misit, qui non solum tuerentur agrum volscis ademtum, sed etiam cum pauperes essent, ex urbe removerentur, ut seditio tolleretur (2). Cumque eadem colonia peste laboraret, qua tot cives perirent, ut vix decima pars reliqua esset, veliterni coloniae supplementum vastitatem questi, postularunt iam post biennium (A. U. C. 262). Omnes in coloniam demigrare recusarunt metu pestis: quare triumviri creati colonis deducendis, sorte coloni lecti et Velitras commigrare compulsi sunt (3). Post urbem a gallis expugnatam, veliterni defecerunt, et cum latinis rebellarunt (4): vincuntur quidem; sed tamen rursus arma

(1) Liv. II, 30 31.
(2) Dionys. VII, 13.
(3) Plut. in Coriolano.
(4) Liv. VI, 21.

capiunt (1), vastant fines romanos (2). Ex hac societate cum latinis, bellum romanis inferentibus, elucere videtur, Velitras, nisi colonia latina fuerit, cui contradicunt supra dicta, tamen illud supplementum colonorum, A. U. C. 262 missum, e latinis haustum fuisse: neque hoc refellitur dicto Livii (3), in veliternos, *veteres cives romanos*, quod toties rebellassent, graviter saevitum esse: nam latini eo anno iam foedus cum romanis renovaverant auctore Sp. Cassio, et romana civitate fruebantur. Veteres coloni civium romanorum pestilentia fere omnes interiisse videntur, et ii qui, pauci tantum, in supplementum missi erant, ita ut latini omnem fere coloniam obtinerent.

Norba. Eodem tempore et iisdem de causis T. Geganio et P. Minucio coss. *Norbam* (4) deducta est, quae arx esset in pomptino agro (unde frumentum Romam supportari solebat), romanis tum et intestina discordia et fame laborantibus, quare exhaurire urbem civibus pauperibus maximae utilitatis erat (A. U. C. 262).

Antium. T. Quinctio Q. Servilio coss. (A. U. C. 286)

---

(1) Liv. VI, 36.

(2) Liv. VII, 15.

(3) Liv. VIII, 14 A. U. C. 370 cum volscis coniuncti contra romanos pugnantes inveniuntur. Liv. VI, 14.

(4) Dionys. VII, 13. — Liv. II, 34.

prior volscos vincit fugatque, qui castris captis, Antium se recipiunt, tum urbem opulentissimam, quae paucos dies circumsessa, deditur (1). Aemilius consul plebi agros pollicitus erat; tribuni postulant, ut agri dividantur. Q. Fabius consul (cum Ti. Aemilio) rogat: *Antium* propinquam, opportunam et maritimam urbem, coloniam deduci posse. Sententia accepta triumviri creantur agro dando T. Quinctius, A. Virginius, P. Furius. Iussi nomina dare, qui agrum accipere vellent, adeo pauci nomina dedere, ut volsci coloni adderentur, hoc est veteres incolae, quibus in suos agros redire permissum est. Quare etiam romani, novo bello a volscis exorto et aequis, quod latini et hernici romanis nuntiabant, metuerunt ne colonia antiatum deficeret. Dionysius (IX, 59) non solum volscis permissum esse memorat, in coloniam redire, sed etiam sociis romanorum, qui eos adiuverant in bello contra volscos, latinis et hernicis potestatem factam, colonos Antium adscribi (2). Sicut hoc in antiate colonia expresse factum esse narratur, etiam in coloniis Velitras et Norbam deductis verisimile est.

---

(1) Liv. II, 65. Dionys. IX, 58 59. — Conf. Niebuhr II p. 288.

(2) Hoc bello volsco latinorum foederatae civitates ita debilitatae sunt, ut in romanorum plurimae se dederent tutelam, quo facto latini usque ad urbem a gallis captam ut subditi romanis apparent. Nieb. II p. 291.

Hanc coloniam toties descivisse, ex hac colonorum compositione facile est intellectu. Nam cum volsci adscripti essent colonis, hi commune ineuntes consilium cum reliquis volscis, ab iis adiuti eiecerunt colonos romanos, qui pauci erant (1), simulque socios romanorum, latinos et hernicos, quorum terras volsci populati sunt. Haec prima defectio iam novem annos post coloniam deductam locum habuit A. U. C. 295 (2). Mille coloni deducti sunt, et antiates municipes facti romanorum, latinorum et hernicorum, ut apparet ex Livio (III, 4), ubi narratur, antiates iam Aulo Postumio, Sp. Furio cons. (A. U. C. 290) suspectos fuisse, quod magna vis hominum, quum oppidum captum esset, confugisset ad aequos, isque miles per bellum aequinum vel acerrimus fuit. Ea multitudo cum Antium rediisset, sua sponte iam infidos colonos romanis abalienavit. Coloniae suspectae principes Romam evocati, a senatu de ea re interrogati, non minus suspecti abeunt; tamen colonia T. Quinctio milites dare iussa est. Aequi a T. Quinctio vincuntur, auxilia latinorum et hernicorum cum gratiarum actione dimittuntur: antiates, mille milites quia post praelium

(1) Liv. III, 1 adeo pauci nomina dederunt, qui agros accipere vellent, ut volsci adderentur, quos Dionys. X, 20 ἀρχάιοι οἰκητορες nominat.

(2) Liv. III, 23. Dionys. X, 20.

demum venerant, cum ignominia dimissi (1). Colonia ergo mille hominum fuisse videtur. Cum volsci, Roma a gallis capta, iterum rebellassent cum latinis, Antium quoque in armis erat, et romanorum iram ita movit, ut de Antio excidendo ad senatum referrent (A. U. C. 369); sed etruscum bellum eos avocavit (2) (A. U. C. 379). Post decem annos cum latini ad Satricum victi Antium peterent, discordia inter latinos et antiates orta, antiates se romanis dedunt (3). Quominus colonia restitueretur, intestini motus, a Licinio Stolone exorti, impedivisse videntur. Antiates adeo coloniam deduxerant Satricum, a latinis igne dirutum (4) (A. U. C. 407). Samnitico bello exorto, volsci, ducibus antiatibus, ad Satricum considunt (A.U.C.413) (5); victi quidem sed non oppressi, nam in agrum ostiensem, ardeatem, solonium incursiones faciunt (A. U. C. 414) (6), fusi sunt cum suis sociis ad flumen Asturae (VIII, 13). Camillus ad senatum refert: latina oppida et *Antium* ex volscis aut vi capta, aut recepta in deditionem. De veliternis (7) et antiatibus gravius

---

(1) Liv. III, 4 5.
(2) Liv. VI, 6 8.
(3) Liv. VI, 33.
(4) Id. VII, 27.
(5) Id. VIII, 1.
(6) Id. VIII, 12.
(7) Conf. supra dicta de Vel. 5 not.

consultum. Naves eorum abactae et incensae, rostrisque ornatus suggestus in foro; *colonia restituta* et antiatibus permissum si colonis adscribi vellent; sed mari interdictum Livius adiungit: civitas data, quod de volscis tantum coloniae adscriptis intelligendum est (1) (A. U. C. 416). Causa restituendae coloniae erat, quod tum Latium omne subiectum erat, et romanorum intererat in fide et obedientia retineri. Secundo punico bello, Antium erat colonia maritima, cui data erat vacatio militiae terrestris (Liv. 27, 38).

Rex Tarquinius Superbus, cum in Ardea oppugnanda Roma expulsus esset, romani cum ardeatibus rutulis inducias xv annorum fecerunt (2), tum temporis gente opulentissima, quare eam Tarquinius aggressus erat (3). Postea Ardea cum latinis in societatem romanorum recepta est. Ardeates et aricini de agro ambiguo inter se decertantes, romanos iudices capiunt certaminis. P. Scaptius quidam ex plebe populo indicat, agrum nunc ambiguum coriolanorum fuisse, et captis Coriolis publicum populi romani factum esse; itaque a populo romano vindicatus est. Qua de causa ardeates desciscunt (4). Legatos mittunt

(1) Liv. VIII, 14.
(2) Dionys. Hal. IV, 85.
(3) Liv. I, 57.
(4) Liv. III, 71 72; IV, 1.

Romam, se restituto agro in fide et amicitia cum romanis mansuros (1) (A. U. C. 310). Senatus benigne respondet, sibi curae fore, ne iniuria diuturna esset. Non multo post legati ab Ardea veniunt, auxilium romanorum pro vetere societate et foedere nuper renovato implorantes; se intestino bello lacerari, propter virginem plebeiam, quam et nobilis iuvenis et plebeius petierunt; nobiles romanorum, plebeii volscorum auxilia arcessunt (2). Volsci a romanis victi sunt, motus Ardeae compositi sunt.

Ardea. M. Fabio Vibulano, Postumio Aebutio Cornicino coss. A.U.C. 311, ut prorsus deleretur iniuriae memoria, senatus consultum factum: ut quoniam *ardeatium* civitas redacta ad paucos esset, coloni eo praesidii causa adversus volscos scriberentur. Multo maior pars rutulorum coloni scripti sunt, quam romanorum; ager tantum divisus est, qui iudicio interceptus fuerat, nec romanis prius pars ulla eius data, quam omnibus rutulis divisus esset (3). Triumviri coloniae deducendae Agrippa Menenius, T. Coelius Siculus, M. Aebutius Elva, quum plebem offendissent agro sociis assignato, quem suum iudicarent romani, et a tribunis accusarentur, coloni adscripti Ardeae reman-

(1) Liv. IV, 7.
(2) Liv. IV, 9 10.
(3) Liv. IV, 11.

serunt. Camillo ibi exsulante, duce, gallos Romam obsidentes invadunt et caedunt (1). Bello punico secundo detrectant militiam (Liv. 29, 4).

Lavici. Bello ab aequis reparato et quidem extremo certamine, lavicani se aequis iunxerant, et cum iis in Algido monte castra posuerant, depopulantes tusculanum agrum, (A.U.C.337) tribunis militum L. Sergio Fidenate, M. Papirio Mugillano, C. Servilio Prisci filio. Romani ab aequis et lavicanis fusi, castris relictis, Tusculum petierunt duce L. Sergio. Tantus metus romanis iniectus est, ut Q. Servilius Priscus dictator diceretur. Aequi et lavicani prima victoria elati, cum negligentius bellum gererent, proelio a dictatore victi, castra eorum direpta, Lavicos confugerunt, quod oppidum captum et direptum est; ne a tribunis plebis agrariae seditiones moverentur, senatus censuit, *coloniam Lavicos deducendam;* coloni ab urbe mille et quingenti missi, bina iugera acceperunt (2). Hac victoria et colonia instituta, bellum aequinum est oppressum, ut nunquam gravius renovaretur, nisi per paucos annos, propter Verruginem.

Quantum periculi a coloniis sibi immineret, populos victos non fugit: nam antiates, ut volscos et aequos incitarent adversus romanos, proponunt, iam

(1) V, 43.

(2) Liv. IV, 47. Conf. Niebuhr II p. 429. Anmerk 975.

non solum armatos exercitus, sed colonias etiam in suos fines mitti (1).

Vitellia. Ad comprimendos aequos fortasse circa idem tempus et Vitellia colonia deducta esse videtur. Aequi hanc coloniam expugnant, sed maxima pars colonorum Romam effugit (L. Lucretio Flavo, Ser. Sulpicio Camerino coss. A. U. C. 361) (2).

Satricum. Romanorum vires post urbem a gallis captam debilitatae, volscos, aequos et praenestinos ad rebellandum excitarunt. A Camillo victi latini et hernici, se domos receperunt, volsci autem Satrici moenibus se includunt. Satricum scalis captum est, volsci se dediderunt (3). Inde Antium aggredi in animo erat, ut volscorum vim intercideret, cum legati a Nepete et Sutrio auxilium adversus etruscos peterent, quod tam necessarium et utile et senatui et Camillo visum est, ut a volscis averteretur adversus etruscos. Interim magni motus Romae a M. Manlio orti sunt, aere alieno oppressos plebeios suis facultatibus a nexu liberat, cumque plebes ad suum liberatorem et tutorem conflueret, accusatus est plebem movisse, et iudice di-

---

(1) Liv. IV, 56.

(2) Liv. V, 29. *Vitelliam coloniam* gentem Vitelliam adversus aequicolas defendendam depoposcisse commemorat Svet. in Vitell. I.

(3) Liv. VI, 8 9.

ctatore Camillo in vincula coniectus est. Cum iam non procul a seditione esset (A. U. C. 368), senatus ad eam leniendam Satricum coloniam duo millium civium romanorum deduci, binaque et semisses agri assignari iubet (1). A praenestinis cum volscis coniunctis paulo post colonia aggreditur Satricum, et in captos crudeliter saevitum. Tertio anno post Satricum (A. U. C. 408) a volscis restitutum M. Valerio Corvo II, C. Petilio coss. Volsci victi Satricum petunt, ad quatuor millia militum se dediderunt. Oppidum incensum et dirutum est (2).

Sutrium et *Nepete* (*Nepe* Vellei. Pat.) in oppugnandis Veiis societatem cum romanis iniisse videntur. In agro nepesino Camillus dictator (A. U. C. 358) cum faliscis et capenatibus signa confert, eos fundit, castrisque exuit (3). Etrusci (gallis Roma expulsis) romanos gallico bello debilitatos petentes, sutrinos socios populi romani obsident, qui legatis missis auxilium a romanis petunt (4). Sutrium ab etruscis captum deditione, eodem die a Camillo eis eripitur et sutrini restituuntur. Nepete et Sutrium iterum auxilium roma-

(1) VI, 17 22.

(2) Liv. VII, 27. Antiates coloniam Satricum deduxerant. Loc. cit. not. (5).

(3) Liv. V, 19.

(4) Liv. VI, 3.

norum imprecantur (A. U. C. 369) : romani Camillo duce eo se vertunt, nam ea loca opposita Etruriae, et quasi claustra inde et portae erant (1). Sutrium, cum romani accessissent, iam ex parte ab etruscis captum invenere ; sed repentinus romanorum adventus etruscos ita terruit, ut fugerent et in fuga vincerentur. Sutrium receptum, sociis restitutum, exercitusque romanus Nepete ductus, quod etrusci iam per deditionem acceperant (2). Nepete vi capitur, nepesini coguntur arma ponere, quod oppidum dedidissent ; auctores deditionis capitis damnantur, in oppido praesidium romanum relinquitur. Tribus annis interiectis, quibus manliana certamina rempublicam exercuerunt, novum bellum volscorum exarsit, quibus se applicarunt circeienses, et veliterni coloni, suspectum est nomen latinum et lanuvini, olim fidissimi. Ut veliterni tandem punirentur, et plebes non abhorreret a bello, quinqueviri agro pomptino dividendo, et triumviri *Nepete coloniae* deducendae creati sunt (A.U.C. 372).

Eodem tempore et *Sutrium coloniam deductam* esse Velleius commemorat (post septem annos, quam galli urbem ceperant A. U. C. 365, ergo anno 372) (3). Utraque colonia inter eas nominatur, quae detrectarunt

(1) Liv. VI, 9.
(2) Liv. ibid.
(3) Vellei. Paterc. I, 14.

militiam (Liv. XXVII, 9), et punitae sunt (XXIX, 15).

Ex hoc tempore index coloniarum, a Velleio Paterculo (I, 14) exhibitus, incipit.

Setiam quoque novi coloni adscripti sunt (A. U. C. 376), quod penuria hominum in colonia fuit (1). Quando ea colonia primum deducta fuerit, non liquet in velleiano catalogo coloniarum (I, 14 sic. 2): anni cum Livio non conveniunt, cum anno post Sutrium deductam missa dicatur, et secundum Livium Setiam novi coloni missi sunt Publ. et C. Manlio, L. Iulio, C. Sextilio, M. Albino, L. Antistio trib. milit., hoc est A. U. C. 376. Adiective setinus in Livio legitur (VIII, 19). Privernates et fundani, duce Vitruvio Vacco, effuse vastarunt setinum, norbanum et coranum agrum, quae sunt inter se propinqua loca.

Hae sunt coloniae hac periodo deductae.

Fines igitur imperii prolati sunt a parte septentrionali a Gabiis *Lavicos*, et inde orientem versus ad *Eretras*, inde recta linea ad meridiem usque ad *Setiam* et *Circeios*. Latinis cum romanis societate, etsi non fide, coniunctis, *aequis* oppositae erant coloniae *Lavici*, *Vitellia* et *Eretrae*; *volscis* vero perpetuo adversus romanos arma moventibus, in eorum finibus conditae coloniae *Velitrae*, *Cora*, *Suessa*, *Satricum*, *Antium*, *Norba*, *Setia*. In *rutulorum* finibus erat colonia *Ar-*

(1) Liv. VI, 30.

dea. Trans Tiberim denique Veiis captis et *Volsiniis* ad inducias xx annorum ineundas compulsis, *Nepete* in Etruria deducta est, quae eis opponeretur, sicut *Sutrium* Tarquiniis, cum etrusci arma cepissent adversus romanos A. U. C. 369 et illa oppida auxilium romanorum implorassent.

Nihil fere in historia romana perlustranda animum magis movet, et maiore admiratione dignum reperitur, quam firmitas et perseverantia romanorum in consiliis et propositis exsequendis conspicuae. In civitate, quae ab unius arbitrio pendet, illae virtutes facilius sunt exercendae, quam in libera republica; cum, qui vices regis subit, et in eius locum succedit, idem sentiat ac antecessor. Res autem romana ita constituta erat, ut et in senatu et in comitiis centuriatis penes patricios summum imperium esset, qui, eadem sectantes, inter se consenserant, et sua auctoritate, nobilitate et prudentia animos plebis movebant. Quare Cicero in libro de republica (1) dicit: duo praecipua firmamenta reipublicae, auspicia et senatus. His autem, de quibus diximus, temporibus, fundamenta a romanis sunt posita futurae magnitudinis et splendoris: nam non solum interna reipublicae constituendae forma per varios casus, discrimina et motus inter utrumque ordinem ad concordiam rediit, cum plebeiis, viribus

(1) II, 15.

eorum progressu temporis auctis, negari non posset, ut aequis cum patriciis iuribus in republica uterentur: quae iura plebeii paulatim sibi vindicaverant, primum legibus sacratis, quibus inter alia intercessio tribunorum est concessa, dein lege cassia agraria, repetitis vicibus rogata a tribunis Sp. Icilio et Tito Pontificio (A. U. C. 273), Genucio (A. 281), Publilio et M. Laetorio (A. 283); lege porro publilia, qua plebi datum est, tribunos comitiis tributis creare, et de rebus publicis tributim deliberare (plebiscita); post lege terentia, cui leges XII tabularum originem debent, quibus et ius privatum et civile et publicum latum est; denique legibus valeriis horatiis, quibus iussum est ut quod plebs tributim iusserit, populus teneret: postremo lege canuleia, qua connubium plebeiis est concessum, et tribuni militum, consulum loco, ex utroque ordine sunt creati; praeterea stipendiis ex aerario militibus in oppugnandis Veiis concessis; sed etiam imperium, prolatis finibus, auctum est, continuis bellis cum vicinis populis prospero plerumque Marte gestis, in quibus romani commoda, a coloniis in suam rempublicam redundantia, clarissime perspexerant, neque hostis periculum, inde sibi imminens, fugiit (1); quare omnis vis belli in coloniis et oppugnandis et defendendis, evertendis et reparandis versabatur, quod praecipue in colonia antiate in oculos incurrit.

---

(1) Conf. not. 1 ad coloniam lavicanam. Liv. IV, 56.

III. Quaedam de conditione et statu coloniarum huius temporis ab A. U. C. 245 ad 389.

Ex iis quae supra diximus de historia coloniarum elucet, romanos et experientia priorum temporum, et usu huius aevi *necessitatem et utilitatem internam* coloniarum perspexisse, ex quo enim plebeii, post exactos reges, miseria continuorum bellorum vexati, fracti aere alieno et insolentia patriciorum, suam sortem emendare studerent, et secessione in montem sacrum facta, suas vires novissent; frequentia civium Romae vero iam adeo aucta esset, quod census numeri probant, ut non iam oneri solum, sed etiam periculo esset, cumque leges agrariae ab Cassio latae, et identidem a tribunis repetitae, summaque virium intentione rogatae, et motus inde in republica orti patriciis probarent, quam necessarium esset, inopiae plebis succurrere, nimiamque eius multitudinem exhaurire, ut motus reprimerentur; internam *utilitatem* cum *externa* coniungentes, colonias deduxerunt (1) in agros bello captos, qui, alias inutiles et parum securi, plebi assignati sunt. Imminutus ita civium numerus reipublicae nihil nocebat, cum in colonias deducti ad suos agros et rempublicam romanam armis defendere coacti essent, eamque utilitatem praeberent, ut et vim ho-

---

(1) De Velitris Dionys. VII, 13. Liv. II, 30 31 ante secessionem in montem sacrum.

stium reprimerent, et praesidium in quo romani se reciperent, et unde auxilia peterent, essent, et commeatu simul iuvarent exercituum romanorum.

Non civium tantum romanorum deductae sunt coloniae, sed etiam latinae missae esse videntur: societate enim cum latinis iam sub extremis regibus a romanis inita, et post reges exactos a Sp. Cassio renovata (1) quaecumque ab utroque populo suo sanguine et vitae periculo bello capta erant, et aequis partibus erant dividenda (2), ut inter se iure iurando se obstrinxerant: itaque etiam in agros sociatis viribus occupatos, latinae coloniae deducendae erant, praecipue cum plura captorum oppidorum olim latinorum fuissent, quae ut sibi restituerentur postulabant. Discrimen inter colonias latinas et civium romanorum alio loco demonstrare, quantum fieri potest, conabimur.

Quae ratio inter plures colonias plurium gentium in unum locum deductas intercessisset, plane ad liquidum perduci non potest. Eiusmodi colonia fuit Antium, ubi et romani et latini, hernici nec non volsci veteres incolae consederant (3): disiunctae tamen

(1) Liv. II, 33. Dionys. VI, 95 λαφύρων καὶ λείας τὸ ἴσον λαγχανέτωσαν μέρος ἀμφότεροι.

(2) Dionys. VIII, 74 ὅσης, ἀφ᾽ οὗ τάς συνθήκας ἐποιησάμεθα, κοινῇ στρατεύσαντες, ἐκ πολέμου κύριοι γενώμεθα τούτων ὑπάρξει τὸ ἐπιβάλλον ἑκάστοις λάχος.

(3) Dionys. IX, 59.

fuisse et suos quaeque magistratus habuisse videntur, quod militiae causa singulus populus unum corpus efficeret; ducenta iugera agri in unam centuriam redacta essent, cui separatione tantum agri publici adiungendum fuisset quantum ad eam pertineret, quod difficile esset effectu.

Numerus colonorum ex consuetudine antiquissimorum temporum a tribus civium partibus *tricenorum* esse solebat (1): qua de causa plerumque *triumviri* coloniae deducendae et agri dividendi creati sunt. Frequentia civium Romae aucta, multisque agris bello captis, duplex, triplex, adeo quintuplex numerus colonorum deductus est (2). Qui cives romani in colonias missi sunt, deterioris sortis fieri non poterant, cum beneficii causa mitterentur, sed civium iura retinebant, quod duarum civitatum civis iure romano nemo esse potest (3), legibus romanis vivebant, sacra romano ritu peragebant; sed Romae non censebantur, quod aberant perpetuo. Coloni in oppido capto primum locum obtinebant: coloniae enim effigies, simulacraque Romae nominantur (4): ergo vices patriciorum

---

(1) De Fidenis Conf. supra Dionis. II, 53 de Caenina et Antemnis II, 35 τριακοσίους ἄνδρας ἀποίκους ἀπέστειλεν.

(2) Conf. quae supra de Lavicis dicta sunt. Liv. IV, 47.

(3) Cic. pro Balbo c. 11, 12.

(4) Gellius Noct. Attic. XVI, 13.

in colonia subibant, e quibus magistratus coloniae creabantur et ad quos ager publicus, praeter eam partem, quae veteribus incolis concessa erat, pertinebat. Bina enim colonis assignata iugera ad vitam sustentandam non sufficiebant, nisi usus agri publici accederet, quem occupando in usum suum convertere, et quo ad pecora alenda uti possent (Non enim ex mensuris actis unusquisque miles agri modum accepit; sed quod aut excoluit, aut in spe colendi occupavit) (1). Illa enim assignata iugera erant heredium colonis proprium, occupationes autem agri vasti, inculti ex agro publico sumti, quibus tributum impositum erat, frugum decuma, fructuum arborum quinta pars (2). Plebeii quamvis inopia oppressi, tamen saepe detrectarunt colonis mittendis nomina dare, dulcedine legum agrariarum capti, sperantes fore, ut sibi Romae manentibus ex publicis agris, bello partis, fundus assignaretur; qui agri publici quidem vocati sunt; revera autem a patriciis nullo iure tenebantur, quae spes legibus agrariis, a Sp. Cassio latis, excitata, toties repetitis iisdem legibus semper suspensos animos tenuit, praecipue tot agris in locis propinquis expugnatis, ad assignationes maxime idoneis, ut captis Veiis, Faleriis, Capena. Coloniae enim, cum haec tem-

---

(1) Sicul. Flaccus de condit. agror. ab init.

(2) Appian. de bell. civil.

pore belli ratio plurimum valebat, in terras, hostium incursionibus maxime expositas, sunt deductae: colonis porro tantum agri culti portio est assignata, eaque contra hostes perpetuo defendenda; praeterea huic possessioni iniunctum erat molestum militiae officium, desiderio patriae et suorum cruciabantur: unde evenit, ut qui inopia non premerentur, vix in colonias abirent. Unde his facultates suppeterent sibi comparandi quae ad agrum colendum erant necessaria, ut instrumenta rustica, pecora, non liquet. An forte cum agris in oppido capto ab incolis interfectis quasi hereditate in colonos haec sunt collata? an ex parte praedae, quae militibus tributa est, haec sibi coemerunt? Certe Tib. Sempronius Gracchus cum ferret legem agrariam, penuria pauperum rerum omnium, quae ad agros eis assignandos bene colendos pertinebant, perspecta, pecunia eos adiuvit, quae ex hereditate Attali regis pergameni redierunt.

Defectio autem coloniarum, ex. gr. Antii, Fidenarum, iam in historia coloniarum explicata est, et originem habuit vel in receptis in coloniam veteribus oppidi incolis, cum suis conspirantibus et romanorum praesidium eiicientibus, ut Antii, vel latini et hernici propter societatem cum romanis in colonias missi erant, qui defecerunt si latini rebellarunt. Romanorum civium coloni nunquam ita immemores fuissent sui generis, et pietatis erga patriam, ut defecissent.

IV. Historia coloniarum a legibus liciniis, seu a primo plebeio consule, ad primum punicum bellum. Ab anno U. C. 398 ad 488.

Respublica romana, hoc tempore iam firmiore fundamento nixa, valebat. Tumultu enim civili, et intestinis fluctibus tandem sedatis, plebeii, suis magistratibus adiuti, denegato saepius in externos hostes auxilio, minis legum agrariarum nova iura sibi extorserant, eoque tandem pervenerant, ut omnia civium fere iura sibi cum patriciis essent communia, et ut summi in republica magistratus et honores sibi paterent. Concordia inde in republica ordinum enata, nova reipublicae constituendae forma et in colonias vim suam exercuisse, eademque leges ibi usu valuisse videntur, cum coloniae imaginem reipublicae referrent: connubia enim et commercium cum veteribus incolis oppidi, in quod colonia deducta erat, communicata puto: quo factum est, ut et in colonia uterque ordo, colonorum (patriciorum locum occupantium), et incolarum veterum (plebeiorum quasi) in unum coalesceret, et in concordia viveret; incolae a coloniis occupatorum oppidorum adeo interdum in colonorum numerum sunt recepti, eorumque iura iis impertita.

Haec ordinum concordia vires reipublicae adeo extulit, ut ex bello quinquaginta ferme annorum (1) cum samnitibus, populo fortissimo (latinis disciplinae

---

(1) Ab A. U. C. 412 ad A. 464.

romanae adsuetis, et a romanorum societate deficientibus, qui eis in civium numerum recipi et iisdem iuribus et honoribus frui postulantibus, recusarent), et cum etruscis (simul cum gallis, umbris, apulis, cum samnitibus coniunctis) varia fortuna gesto, tandem superiores decederent, omnemque Italiam a Macra et Rubicone fluviis ad fretum usque siculum suo imperio subiicerent. Hoc bello ad comprimendos hostes multae coloniae sunt deductae, quarum historiam nunc exponamus.

Samniticum bellum exortum est A. U. C. 412 (1), quamquam romani cum samnitibus ex A. U. C. 401 foedere iuncti erant, cum samnites Sidicinum adorti essent, et sidicini viribus eis impares, auxilium campanorum implorassent, qui et ipsi a samnitibus victi, romanis se dediderunt, ut ab iis tuerentur. Consulum alter M. Valerius Corvus ad montem Gaurum in Campania cum samnitibus conflixit, ut aliquamdiu in neutram partem inclinarent acies, tandem vicit hostes. Consulum alter A. Cornelius Corvus ad Saticulam in Samnio profectus, in saltus incaute penetravit, et inclusus cum exercitu periisset, nisi P. Decius Mus occupato colle omnem vim hostium in se traxisset, et consuli viam aperuisset. Nova pugna ad Suessulam commissa, samnites iterum vincuntur a T. Manlio. Bellum

(1) Liv. VII, 29.

tam grave utrique populo fuerat, ut romani samnitibus petentibus pacem concederent (A. U. C. 414).

Latini, cum romanos samnitico bello debilitatos viderent, et iamdiu in foedere parum fidi fuissent, milites se daturos negarunt, sidicinos et campanos in fidem acceperunt, et in senatu romano, Annio suae voluntatis interprete, postularunt, ut quemadmodum vires exercituum romanorum duplicarentur adiunctis latinis, et alter consulum et pars senatus e latinis sumeretur. Quod cum romani facere detrectarent, bellum cum latinis exortum est. Ad radices Vesuvii a T. Manlio et P. Decio, diis manibus se devoventi, latini vincuntur. Ad Trifanum iterum victi, se dediderunt. Latium et Capua agro multati; latinus ager et falernus usque ad Vulturnum fluvium plebi romanae dividitur (1), qui antea publicus latinorum fuerat. Privernatibus volscis etiam victis, duae partes agri ademtae erant (2), volsci, antiates adhuc in armis erant, et Pedum, Tibur, Praeneste, Velitrae, et Lanuvium oppida latinis se iunxerant, ira moti ob agrum ereptum. Ad Asturam victi sunt, Pedumque vi captum, omne Latium expugnatum (3). Tum in senatu romano deliberatur, referente Camillo, utrum omne Latium sit delendum, an victi

(1) Liv. VII, 11.
(2) Id. VIII, 1.
(3) Id. VIII, 13.

in civitatem sint recipiendi. Lanuvinis, aricinis, pedanis civitas data, tusculanis servata, oppida municipia facta. Veliterni graviter puniti (1). Capua, Cumae, Suessula, Fundi, et Formiae ius municipum acceperunt. Aurunci, quos T. Manlius antea in deditionem acceperat, a sidicinis, quos romani samnitibus debellandos accesserant, aggressi, auxilium a romanis petierunt; sed antequam romani accederent, Suessam confugerant aurunci, oppido suo a sidicinis deleto. Cum sidicinis finitimis *ausones*, qui *Cales* urbem incolebant, arma iunxerant (2): M. Valerius Corvus eos fudit, urbem Cales cepit, praesidiumque imposuit.

Cales urbs ad tuendum agrum Falernum, plebeiis divisum, simulque ad viam Capuam ducentem, magni momenti romanis erat: qua de causa, etsi pars belli cum sidicinis restabat, tamen ut praevenirent beneficio desiderium plebis, *coloniam Cales* deduci decreverunt; duo millia quingenti homines missi sub triumviris C. Duilio, T. Quinctio, M. Fabio. Livius (XXVII, 9) enumerat Cales inter latinas colonias. Velleius (I, 14) confundit annos, referens eodem anno, quo campanis data sit civitas, Cales deductam esse coloniam; illud factum est A. U. C. 414. (Liv. VIII, 11) hoc 420, ut iam probant consules nominati Veturius Calvinus, S. Postumius.

(1) Conf. supra de Velitris et Antio.
(2) Liv. VIII, 16.

Privernum A. U. C. 413 a romanis captum, et durius tractatum, et Fundi, municipium nuper factum, (A. U. 424), fortasse praesidio oppressum, duce Vitruvio Vacco fundano, arma moverunt (A. 424—36). Fundi et anno post Privernum expugnatum: fundani ad officium redierunt punitis coniurationis capitibus: item privernates perfidi puniti: reliquis civitas data, quia novum bellum samniticum instabat. (Liv. VIII, 20, 21).

Anxur eodem anno 425 U. C. (Terracina) trecenti in coloniam missi; bina iugera agri acceperunt (1). Haec colonia destinata erat, ut viam Fundos et Privernum tutam praestaret, ut Campania pateret.

Fregellae. Anno post, C. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapula coss., *Fregellas* (2) sidicinorum, dein volscorum oppidum colonia deducta est A. U. C. 426). Samnites hanc in via latina coloniam dirimi postularunt, quod prius Fregellas ceperant et everterant, sui ergo agri essent. In oppugnando Palaepoli samnites in urbem recepti, arma contra romanos gesserunt. Propter Fregellas novum bellum cum samnitibus exortum A. U. C. 429. Samnites etsi socios belli nacti erant lucanos, apulos, tarentinos, tamen inferiores bello erant, donec (A. U. C. 433) in furculis caudinis romani a Pontio inclusi sunt. Anno post expugnarunt Fregellas,

---

(1) Quia tam pauci coloni missi sunt, volsci in eam recepti esse videntur.

(2) Cic. Brutus 46.

Satricum et Luceriam in Apulia, quae a Fabio cons. antea capta erant, et samnitibus conss. Papirius Cursor et Publ. Philo iterum eripuerunt. Saticula a romanis capta est, sed ad Lautulas victi sunt a samnitibus (A. U. C. 438). Luceria recepta A. 440, et tantum odium in bis captos erat, ut multi delendam censerent.

Luceria. Sed ut Apuliam praesidio firmo tuerentur, *colonia Luceriam* deducta est duorum millium quingentorum hominum, quanquam longinquitas abhorreret a relegandis tam procul domo civibus, inter tam infestas gentes, utilitas tamen plus valebat (1) (A. U. C. 440).

Suessa Aurunca et *Pontiae* etiam (insula a volscis olim habitata prope littus circeium) coloniae deductae sunt (2), ut Campaniam contra samnites, et littus contra tarentinorum impetum tuerentur.

Saticula eadem de causa qua Suessa Aurunca *colonia* deducta est, biennio post Luceriam ut Velleius memorat (3). Livius (XXVII, 9) eius tantum mentionem facit inter fidas colonias secundo punico bello (A. U. C. 442).

(1) Liv. IX, 26.

(2) Liv. IX, 28. Hic quoque chronologia coloniarum Livii cum Velleio Paterculo non congruit: error est in tempore fundanis, campanis datae civitatis. Livii anni rebus bello gestis optime conveniunt.

(3) I, 14.

Interamna et *Casinum*. M. Valerio Maximo, P. Decio Mure coss., coloniae deductae quatuor millium hominum, quae viam latinam tuerentur (Eod. anno).

Sora quam samnites ceperant, a consule M. Valerio romanis restituta est, transfugis quosdam romanos in arcem non occupatam ducentibus; qui portas urbis consuli accedenti aperuerunt. Iterum a samnitibus Sora capta est, ut Arpinum et Collatia (A. U. C. 446). Varia deinde fortuna pugnatum est, romani tamen superiores erant, quamquam marsi, peligni, frentani, marucini ad samnitium partes se verterant; neque minus aequi et hernici, et etruscum simul bellum vires eorum distimebat. Victoriae ad Allifas, Bovianum et Tifernum samnites pacem petere coegere (A. U. C. 450). Hernici subacti erant, aequorum XLI oppida capta sunt. Frentani, peligni, marsi, marucini se dediderunt. Ut aequos sibi obedientes servarent, maximae in eorum fines coloniae sunt deductae.

Albam in Aequos ad lacum Fucinum, L. Genucio, Ser. Cornelio coss., sex millia colonorum missa (A. U. C. 451 Liv. X, 1).

Soram, quae volscorum fuerat, samnites autem possederant, colonia quatuor millium hominum deducta est (1). Aequi coloniam velut arcem his finibus impositam expugnare conantur, sed a colonis repulsi sunt.

(1) Vellei. I, 14.

Carseoli deducta quatuor millium hominum (1), M. Livio Dextero M. Aemilio Paulo coss., biennio post Albam (A. U. C. 452). L. Cornelio Scipione Cn. Fulvio Centumalo coss. coloniam Carseolos in agrum aequicolorum deductam esse Livius commemorat (X, 13 A. U. C. 456).

Inter annos 444 ad 454 romani cum etruscis pugnarunt, praecipue de coloniis Sutrio et Nepete. Q. Fabius ad Perusiam et lacum Vadimonis etruscos fudit. Perusia, Cortona et Aretium inducias faciunt.

Narnia. Nunc umbri supererant hostes, qui facili negotio vincuntur. Nequinum in confinibus Umbriae, Etruriae et Samnii situm, proditione captum est, et in deditionem populi romani venit. *Colonia* eo adversus umbros missa, a flumine *Narnia* appellata, M. Fulvio T. Manlio coss. (A. U. C. 455). (Haec colonia non est in catalogo coloniarum velleiano).

Anno U. C. 456 tertium samniticum bellum ortum est. Samnites lucanos adorti sunt, qui a romanis auxilium petierunt. Cn. Fulvius samnites ad Bovianum vicit, Q. Fabius ad Tifernum, P. Decius fudit apulos ad Maleventum; cumque samnites Campaniam populati essent, L. Volumnius, victor ex Etruria rediens, eos non procul a Calibus vicit.

Minturnae, Sinuessa. Ut Campaniae populatio in

---

(1) Liv. X, 13. X, 3.

posterum impediretur, praesidium regionibus depopulatis imponere senatus romanus decrevit. Itaque duae *coloniae* circa vescinum et falernum agrum deductae, una ad ostium Liris fluvii, quae *Minturnae* appellata; altera in saltu vescino, falernum contingente agrum, ubi Sinope urbs fuisse dicitur. *Sinuessa* deinde ab colonis romanis appellatur (1). Qui nomina darent, non facile inveniebantur, quia in stationem se prope perpetuam infestae regionis, non in agros, mitti rebantur. L. Volumnio II Appio Claudio II coss. A. U. C. 458. Velleius anno post deductas memorat, Q. Fabio V Decio Mure IV coss. A. U. C. 459.

Venusia. Etruscis cum samnitibus, gallis et umbris ad Sentinum victis, L. Papirius, Sp. Carvilius coss. samnitibus proelium committunt ad Aquiloniam (A. U. C. 461). Q. Fabius Gurges cos. iterum vicit, Postumius Cominium et *Venusiam* in Apulia capit, eo colonia viginti millium hominum missa, praesidium Apuliae (2). Paterculus quadriennio post Sinuessam deductam (A. U. C. 462) dicit. Exacto secundo bello punico A. U. C. 553; P. Galba, C. Gotta coss., triumviri creati

---

(1) Liv. X 21.

(2) Vigintimille coloni Venusiae missi esse dicuntur, numerus, qui fidem excedit, quamvis magno praesidio opus erat inter Apuliam et Lucaniam. Freinsh. suppl. ad Liv. XI, 17.

ad supplendum numerum venusinis colonorum ,. quod vires coloniae bello hannibalico attenuatae erant (1).

Sena. Anno U. C. 469. Volsinienses a samnitibus evocati, arma adversus romanos ceperunt, accitis gallis senonibus, et Aretium oppugnarunt. L. Metellus praetor ad Aretium obsidione liberandum missus, fusus est., et legatio romanorum, auctore quodam gallo Bartomari, interfecta (2). P. Dolabella cons. ultus est iniuriam romanis illatam: senones absente robore iuventutis fusi, ad internecionem caeduntur, homines captivi abducti, ager vastatus. Romani, omni ditione senonum potiti, eo coloniam mittunt A. U. C. 471. *Sena* dicitur de nomine gallorum senonum, qui prius ea loca tenuerant (A Velleio haec colonia praetermissa est). Mari supero adiacet. Liv. XXVII, 38. Polyb. II, 14.

Hadriam et *Castrum* Epitome Lib. XI Livii commemorat eodem tempore deductas colonias, M. Valerio Corvo Q. Caedicio coss. A. U. C. 465.

Cossa et *Paestum*. Samnitibus et etruscis plane devictis, et re navali melius instituta ad opprimendos tarentinos et reliquas Greciae maioris urbes, ad oras maritimas tuendas colonias deduxerunt Claudio Canina, Fabio Dorsone coss. *Cossam* in Etruria, (quam Plinius Cossam volcientium vocat III, 5), et *Paestum* seu *Posi-*

---

(1) Horat. II serm. I, 34. Liv. XXXI, 49.

(2) Appian. bellica excerpta XI. Polyb. II, 19. Oros. III, 22.

doniam in Lucania (1). Cossani ob fidem in secundo punico bello servatam in senatu laudantur (Liv. XXVII, 10): petentes ut numerus colonorum augeatur, non impetrarunt (Liv. XXXIII, 2). L. Furio Purpureone M. Claudio Marcello coss. (A. U. C. 558), cossani postularunt iterum, ut sibi numerus colonorum augeretur: mille adscribi iussi, dum ne quis in eorum numero esset, qui post P. Cornelium, Tib. Sempronium coss. (A. U. C. 536) initio secundi punici belli hostis fuisset (2). Paestum romanos picentes ex Hadria colonos in posidoniatem sinum deduxisse Strabo commemorat (Lib. V.). (Ad sinum potius salernitanum deducti esse videntur picentes, ubi urbs Picentia condita, prope Salernum).

Beneventum, Ariminum, Firmum, Castrum. Ut iter Capua in Apuliam pateret, in Samnium *Beneventum* colonia deducta est, P. Sempronio Sopho Appio Claudio Crasso (Caeci filio) coss. A. U. C. 486 quinquennio post Cossam et Paestum (3). Eodem anno *Ariminum* deducta colonia est, ut populi trans Apenninum in fide et obedientia servarentur. *Firmum* etiam et *Castrum* in Piceno ad coercendos picentes coloni missi sunt (Liv. epit. lib. XI) eodem tempore quo Sena: Velleius autem initio primi punici belli deductas dicit.

(1) (A. U. C. 481). Livii epit. lib. XIV. Vellei. I, 14.
(2) Ergo coloni non erant e civibus romanis.
(3) Eutrop. II, 16. Polyb. III, 90.

Omnis Italia intra hoc temporis spatium expugnata est; interni motus cessarunt, quod plebeiis iura omnia et honores concessi erant, iam legibus liciniis, et quae adhuc supererant, legibus pubiliis sine aliquo motu, senatu concedente, eis tributa sunt A. U. C. 416. Hoc multum attulit ad vim reipublicae in externos populos augendam: quibus victis et subiectis coloniae plurimae deductae sunt, quae tuerentur bello parta, itinera aperirent, et praesidiis firmarent fines captorum agrorum. Plurimae eorum erant in confinibus Campaniae, in Apulia, Samnio, Piceno, Umbria, nulla earum in Etruria, praeter Cossam, Insulae Igiliniae regione. Post victoriam ad lacum Vadimonis a P. Dolabella reportata, foedera cum singulis Etruriae urbibus icta esse videntur, nam Zonaras eas ἐνσπόνδους nominat (1).

Cum iam antea nunquam coniunctis viribus bellum adversus romanos susceperant, omnes vero tantum spe et fiducia auxilii gallorum et samnitum romanis se opposuerant, neque tamen vim belli diutius sustinere potuerant, non erat timendum, ne, victis suis sociis, ipsi foedere romanis iuncti, arma iterum moverent, praecipue cum romani sine dubio ex consueta imperandi ratione id agerent, ut civitates inter se dissociarent, neque commune consilium inire paterentur.

---

(1) Zonar. VIII, 7.

Colonias iam hoc tempore multum commodi romanis ad supplendos exercitus praestitisse (1) etsi non expresse in scriptoribus legitur, ex ipsa ratione, qua deductae sunt, colligere licet. Quomodo enim romani tantam, tot annorum belli molem, cum tot tamque bellicosis populis sustinere potuissent, deficientibus praesertim latinorum nunc hostium auxiliis, qui huc usque alterum tantum exercituum romanorum effecerant, nisi his auxiliis adiuti fuissent? Defecisse, qui milites scribi possent, tempore privernatis belli A. U. C. 425, coss. L. Aemilio Mamercino, C. Plautio Deciano, intelligitur, ex eo quod nulla militiae vacatio admittebatur, quin opificum quoque vulgus et sellularii, minime idoneum militiae genus, exciti dicuntur (2). Tot gravibus praeliis, de summa rerum commissis, florem iuventutis romanae paulatim periisse necesse erat: quare nisi sustentati fuissent a coloniis, et victos vel foedere sibi iunxissent, vel in civitatem recepissent, ut lanuvinos, aricinos, nomentanos, pedanos, tusculanos, formianos, fundanos, aliosque, neque se sustinere, neque tot colonias deducere potuissent, in quas multo plures coloni scripti sunt, quam priore tempore: ut si computemus numeros, circiter

---

(1) Ut in secundo punico bello. Liv. XXVII, 10. Harum coloniarum subsidio tum romanum imperium stetit.

(2) Liv. VIII, 20.

50,000 homines deducti esse videntur, quamquam non cuiusvis coloniae numerus hominum recensetur. Nihilominus tamen, quamvis tot homines bello perierint, tot in colonias deducti sint, censu A. U. C. 463 acto, censa sunt capita civium romanorum 270,000 (1).

In quasdam colonias veteres etiam incolae recepti esse videntur: nam parvus tantum numerus colonorum romanorum missus est, ut Anxur in volscis, cum hoc tempore, quo tantis periculis coloniae expositae essent, et maiori praesidio indigerent, a pluribus vulgo, quam priori tempore, colonis occupatae sunt: qui tantus colonorum numerus, si ex urbe Roma haustus esset, eam nimis debilitasset, cuius tum abundare civibus plurimum interfuit, ne deficerent vires ad bellum gerendum.

V. Historia coloniarum deductarum a primo punico bello usque ad bellum sociale. Ab A. U. C. 490 ad 663.

Romanus populus, reipublicae constituendae forma iam plane ex A. U. C. 416 ad certa principia et firmam normam, ut nihil fere immutaretur exacta, omnibus populis Italiae subactis, iisque vel in civitatem receptis, vel foedere sibi iunctis, et iure publico ita constituto, ut qui imperio romano subiecti erant, vel municipes et coloni, civium iura fruentes, vel socii nominis latini, iure Latii utentes, vel socii itali

---

(1) Liv. epit. XI.

essent in peiorem conditionem, quam latini redacti, adeo viribus creverat, ut etiam externis bellis fines imperii extenderet. Primo punico bello prima provincia est expugnata; deinde Sardinia et Corsica; Illyricum subiectum, et Gallia cisalpina. Secundo punico bello, quam firmo fundamento respublica romana nisa esset, apparuit, cum tot calamitatibus oppressa, non solum se sustineret, sed etiam superior ex bello discederet: Philippum Macedoniae, Antiochum Syriae reges, qui ab Hannibale contra romanos excitati erant, vinceret: Asiam ad Taurum usque, Istriam, Macedoniam sibi subiiceret; Carthagine et Corintho eversis, eam Africae partem, quae carthaginensium fuerat, et Graeciam in suam ditionem et provinciae formam redigeret: Hispaniam et partem Galliae transalpinae expugnaret. Deinde post bellum iugurthinum, in quo interna mala reipublicae periculosissima clarissime in oculos incurrunt, secutum est bellum sociale reipublicae statum plane commutans.

Aesernia. Post initum primum punicum bellum colonia deducta est *Aesernium* in Samnio, M. Valerio Messala M. Otacilio Crasso coss. A. U. C. 491 (1). Bello sociali ab italis obsessae Aesernia et Alba coloniae (2), post cum M. Marcello in samnitium potestatem venit (3).

---

(1) Liv. epit. XVI. Vellei. I, 14.
(2) Liv. epit. LXXII.
(3) Id. LXXIII.

In secundo punico bello Aesernia in fide mansit. Liv. XXVII, 9, 10.

Aesulum et *Alsium* (ad mare tuscum). XVII annos post coloniae deductae sunt (1). Inter colonias maritimas Alsium enumeratur. Vacationem belli navalis secundo punico bello impetrare non potuit.

Fregenae in Etruria ad mare tyrrhenum, M. Fabio Buteone, C. Attilio Balbo coss. A. U. C. 509 (2). Vacatio rei navalis ei non concessa est.

Brundusium, A. Torquato, C. Sempronio Blaeso coss. A. U. C. 510 (3).

Spoletium in Umbria, umbris victis, deducta est A. U. C. 513 (Liv. epit. XX), C. Claudio Centone M. Sempronio Tuditano coss. Coloniam latinam fuisse ex Ciceronis oratione pro Balbo. Spoletinus T. Macrinus, unus ex his, quos C. Marius civitate donasset, dixit causam ex colonia *latina* imprimis firma et illustri. Hannibal eam coloniam oppugnare adortus, cum magna clade suorum repulsus, coniectans ex unius coloniae haud nimis prospere tentatae viribus, quanta moles romanae urbis esset (4).

Valentia biennio post Spoletium deducta (A. U.

---

(1) Vellei. l. c. XXII annos post. A. U. C. 513.
(2) Liv. epit. XIX et XXVII, 38.
(3) Liv. l. c. XIX. Zonar. VIII, 7.
(4) Liv. epit. XX. Liv. XXII, 9.

C. 515). Situs eius incertus. Plinius (III, 5) Hipponam, quod nunc Vibonem Valentiam appellamus, commemorat. Hoc oppidum in Bruttiis Vibonis nomen usitatius. Anno 561 U. C. Livius Vibonem coloniam deductam esse narrat (Liv. XXXV, 40). Est etiam urbs Valentia in Calabria, non procul a Brundusio. Verisimile non est, romanos in duo loca tam propinqua fere eodem tempore colonias deduxisse.

Placentia et *Cremona* in agrum de gallis capto deductae sunt coloniae (1) P. Cornelio Scipione, T. Sempronio Longo coss. A. U. C. 536. Ad gallos opprimendos haec loca occupata erant, quod boii et insubres adeo indigne ferebant, ut nuntio allato de adventu Hannibalis deficerent (2). Romani hoc negotium de coloniis in Galliam deducendis perficere conantur, oppida summo studio moenibus cingunt, futuros incolas (sena colonorum millia utrique urbi assignata) intra xxx dies adesse iubent. Placentiam cis Padum, Cremonam trans Padum condebant (3). De Cremona Tacitus (4): « Propugnaculum adversus gallos transpadanos, numero colonorum, opportunitate fluminum ubere agri annexu, connubiisque gentium adolevit ».

(1) Liv. epit. XX.
(2) Liv. XXI, 26.
(3) Polyb. III, 40. Plut. in Hannib.
(4) Tacit. Hist. III, 34.

A. U. C. 564 numero colonorum imminuto, morbis et belli casibus, quibusdam etiam taedio gallorum accolarum coloniam relinquentibus, supplementum decernitur sex millium familiarum, ad quas deducendas creati triumviri M. Atilius Serranus, L. Valerius, L. Valerius Tappo (1). Q. Asconius Pedianus in Pisonianam, Placentiam LIII coloniam deductam esse dicit. Livius XXVII, 9 commemorat XII colonias, quae detrectarunt militiam (cap. 10) duodeviginti, quae in fide manserunt, omnino 30 colonias. Accedunt coloniae maritimae (XXVII, 38) septem, et praeterea (XXXVI, 3) tres aliae supra non memoratae, quae summam efficiunt quadraginta coloniarum. Desunt ergo tredecim, inter has a Dionysio sub regibus (falso fortasse) enumeratae Antemnae, Crustumerium, Medullia, Caenina, Camerina, Fidenae, Eretrae et Velitrae interiisse videntur; omissae porro Valentia, Aesulum, Casinum, Lavici, Satricum, Vitellia, quae illam Pediani summam complent, si Placentiam et Cremonam unam numeres. Pometia etiam (cum Cora a Livio commemorata II, 16, 17) omissa est: contra Pyrgi enumerata, de qua alias nulla mentio est.

Puteolos, Volturnum, Liternum. Anno U. C. 560 coloniae civium romanorum deductae sunt triceni

---

(1) Liv. XXXVII, 47. Conf. Liv. ex ed. Drakenborch. T. IV. p. 32 ubi coloniae enumerantur.

homines in singulas; item *Salernum, Buxentum* coloniae civium romanorum. Ager divisus qui campanorum fuerat.

Sipontum item in agrum, qui arpinatum fuerat, coloniam civium romanorum. *Thempsam,* item *Crotonem* deduxerunt. Thempsanus ager de Bruttiis captus. Crotonem graeci habebant (1), P. Cornelio Scipione II, T. Sempronio Longo coss.

Puteolos, *Salernum* et *Buxentum* adscripti coloni (latini) qui nomina dederant: cum ob id se pro civibus romanis ferrent, senatus iudicavit, non esse eos cives romanos.

Iam A. U. C. 589 coloniae *Buxentum* et *Sipontum* supplemento indigebant; restituta est a triumviris L. Scribonio Libone, M. Tuccio, Cn. Baebio Tamphilo.

Eodem anno (U. C. 560) Q. Aelius Tubero tribunus plebis tulit ad plebem ex senatus consulto: ut coloniae duae, una in Bruttios (Thempsa), altera in *thurinum* agrum deduceretur (2). Colonia latina in thurinum agrum deducta est a triumviris Cn. Manlio Vulsone, Q. Apustio Fullone, Q. Aelio Tuberone: tria millia peditum iere, trecenti equites, numerus exiguus pro copia agri; dari potuere tricena iugera in pedites, sexagena in equites. Tertia pars agri ademta,

---

(1) Liv. XXXIV, 45.
(2) Liv. XXXIV, 53.

quo postea, si vellent, novos colonos adscribere possent. Vicena iugera pedites, quadragena equites acceperunt.

Anno U. C. 562, L. Quinctio Flaminio, Cn. Domitio Ahenenobarbo coss., *Vibonem* colonia deducta est ex senatus consulto plebisque scitu. Tria millia et septingenti pedites ierunt, trecenti equites; quina dena iugera data in singulos pedites sunt, duplex equitibus. Bruttiorum proxime fuerat ager (1): Vibo et Valentia dicta est.

C. Laelius cons. A. U. C. 563 ex Gallia Romam rediit: is non solum ex senatus consulto se absente facto in supplementum Cremonae et Placentiae colonos scripsit, sed ut novae coloniae duae, in agrum qui boiorum fuisset, deducerentur, et retulit, et auctore eo patres censuerunt (2).

Bononia. Anno post (U. C. 564) M. Fulvio Nobiliore, Cn. Manlio Vulsone coss. ante diem tertiam calend. ianuar. *Bononiam*, latinam coloniam, ex sen. cons. L. Valerius Flaccus, M. Atilius Serranus, L. Valerius Tappus triumviri deduxerunt. Tria millia hominum sunt deducta: equitibus septuagena iugera, ceteris colonis quinquagena sunt data. Ager captus de gallis boiis fuerat (3).

(1) Liv. XXXV, 40.

(2) Liv. XXXVII, 47. Conf. Vellei. I, 15.

(3) Liv. XXXVII, 57. Conf. Pomp. Mela. II, 4. Plin. III, 15. Bononia Felsina vocitata, quum princeps Etruriae esset.

Potentia, Pisaurum. Anno U. C. 570 P. Claudio Pulcro, L. Porcio Licino coss. duae coloniae, *Potentia* (alii *Pollentia*) in Picenum, *Pisaurum* in gallicum agrum sunt deductae. Sena iugera in singulos data (1).

Aquileja. Anno 571 U. C. Q. Fabio Labeone, M. Claudio Marcello coss. in senatu illud agitabant, ut colonia *Aquileia* deduceretur, nec satis constabat, utrum latinam, an civium romanorum, deduci placeret. Latina deducta est 3000 peditum, quorum singuli quinquagena, centuriones centena, equites centena quadragena iugera acceperunt (2).

Mutina et *Parma*. Eodem anno coloniae civium romanorum sunt deductae (3). Bina millia hominum missa in agrum, qui proxime boiorum, antea tuscorum fuerat. Octona iugera Parmae, quina Mutinae sunt assignata. Mutina firmissima et splendidissima colonia nominatur a Cicerone in Philipp. V. 9, ut propugnaculum, coloniam populi romani praesidii causa collocatam.

Saturnia. Eodem anno colonia in agro caletrano (in Etruria non procul a flumine Umbrone) dena iugera sunt data (4).

---

(1) Liv. XXXIX, 44. — Vellei. loc. cit.

(2) Liv. XXXIX, 55. — XL, 34. — Plin. III, 18. — Vellei. loc. cit.

(3) Liv. XXXIX, 55.

(4) Liv. loc. cit.

Graviscae. Bello contra ligures finito, eoque populo in ditione romanorum redacto, colonia Graviscae in agrum etruscum, de tarquiniensibus quondam captum, deducta est A. U. C. 573 P. Cornelio Cethego, M. Baebio Tamphilo coss. (1), quina iugera colonis data.

Pisani saepius a liguribus oppugnati et a romanis servati, consule Q. Minucio Thermo A. U. C. 561, agrum pollicentur, quo latina colonia deducatur: A. Postumio Albino, C. Calpurnio Pisone coss. A. U. C. 574 triumviri coloniae deducendae creati sunt (2).

Lucam. C. Claudio Pulcro, Ti. Sempronio coss., colonia duo millia civium romanorum deducta est (A. U. C. 577). Quinquagena et singula iugera et semisses agri in singulos dati sunt (3); de ligure captus is ager erat: etruscorum ante quam ligurum fuerat.

Auximum. Anno U. C. 596, ante triennium quam Cassius censor, a lupercali in palatium versus, theatrum facere instituit, cui in demoliendo eximia civitatis severitas et consul Scipio restitere (A. U. C. 599) (4), deducta est colonia Auximum in Picenum (5).

---

(1) Liv. XL., 29.

(2) Liv. XL, 43.

(3) Liv. XL, 13. alii Lum de qua conf. Annot. ad h. l. in edit. Livii Drakenborch. T. V p. 578 not. 4.

(4) Liv. epit. 48.—Oros. IV, 21. Appian. bel. civ. p. 624 edit. Amstel.

(5) Vellei. I, 15.

Fabrateria. C. Cassio Longino, C. Sextio Calvino coss. A. U. C. 650 in volscis condita est colonia (1).

Cileccium, Minervium, Tarentum, Neptunia, Carthago in Africa (prima extra Italiam colonia). Anno post U. C. 631, Q. Caecilio Metello Balearico, T. Quinctio Flaminio coss. (2). De *Dertona* antiquitus (in Liguria), incertum est tempus, quo deducta sit.

Hae ex coloniis fuisse videntur, quas C. Gracchus deducendas rogavit, etsi Plutarchus in vita C. Gracchi Tarenti tantum et Capuae mentionem iniicit; sed cum hae coloniae in idem tempus incidant, et *Carthago* (3) a C. Graccho deducta in eorum numero est, supra memoratae coloniae ex iis esse videntur, quae a C. Graccho et M. Livio Druso sunt rogatae, in quarum singulas 3000 coloni erant deducendi, duplex numerus Carthaginem. Cicero in prima agraria contra Rullum dicit: Campanum agrum largitioni Gracchorum restitisse; ergo colonia rogata quidem, non vero deducta est.

Nola etiam colonia nominatur in Livii epit. 73.

---

(1) Vellei. l. c.

(2) Vellei. l. c.

(3) Vellei. II, 15. In legibus Gracchi perniciosissimam numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit. Prima autem extra Italiam colonia Carthago condita est.

« Nola in potestatem samnitium venit », quam nunquam deductam legimus, nisi in Frontini coloniarum catalogo, qui Nolam a Vespasiano Augusto deductam coloniam dicit (1). Haec quoque inter colonias lege sempronia et livia deductas referenda videretur, sed mirum neque Plutarchum, neque Ciceronem, cum Capuae mentionem faciant, eam commemorasse.

Narbo Marcius in Gallia transalpina M. Porcio Catone, Q. Marcio Rege coss. A. U. C. 636 deducta colonia est (2).

Eporedia denique in Vagiennis C. Mario VI, L. Valerio Flacco coss. A. U. C. 654.

C. Sextius cons. A. U. C. 630, victa salluviorum gente, coloniam *Aquas Sextias* (in Gallia cisalpina) condidit, ob aquarum copiam e calidis et frigidis fontibus, atque a suo nomine ita adpellatas (3).

Hae sunt coloniae ante bellum sociale deductae, neque vero memoriae mandaverimus quae nisi *militares* post hoc tempus deductae sint (4).

---

(1) Conf. Onuphrii Panvinii imp. rom. Grevii thes. vol. I, 377.
(2) Vellei. loc. cit.
(3) Liv. epit. 61.
(4) Vellei. loc. cit.

SUMMA CAPITUM

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Præd. M. S. P. A.

IMPRIMATUR

Antonius Piatti Patriarch. Antiochenus Vicesger.